Mirsilus Lesbii

Basl

1530

FRAGMENTA VETVSTISSIMORVM autorũ, ſummo ſtudio ac diligentia nunc recognita.

MYRSILI LESBII

DE ORIGINE ITALIAE ET Tyrrhenorum Lib. I

M. Porcij Catonis Originum Lib. I

Archilochi de Temporibus Lib. I

Beroſi Babylonij Antiquitatum Lib. V

Manethonis ſacerdotis Aegyptiorum de Regibus Aegyptiorum Lib. I

Metaſthenis Perſæ Annalium Perſicorũ Lib. I

Xenophontis de Aequiuocis Lib. I

Q. Fabij Pictoris de Aureo ſeculo, & origine urbis Romæ Lib. II

C. Sempronij de Diuiſione Italiæ Lib. I

Sex. Iulij Frontini V. C. de Aquæductibus urbis Romæ Lib. II

·35

BASILEAE, APVD IO. BEB. ANNO M. D. XXX.

Joannis pylij

IO. BEBELIVS LECTORI S.

FRagmenta quædã oppido erudita, & ex altiſſima ue-
tuſtate deprompta ſuſcepimus excudenda, humaniſſi
me lector. Cuius equidem conſilij nobis fuit & autor &
impulſor Io. Sichardus, exiſtimans fore ut à te gratiam ini
remus eam, quam debẽt qui iuuandis rectis ſtudijs operã
ſuã nauant. Anniχi aũt ſumus quantum per rei tum diffi-
cultatem, tum temporis longinquitatem licuit, ut quàm
emendatiſſima in manus tuas uenirent: quamuis in Fron
tino id peiuſcule ſucceſſerit, adeò ut ne quidem nobis ipſi
ſatisfecerimus, id tamen quod mirum nõ eſt in autore tam
deprauato, nullo nobis freto exemplo uetuſtiore, ut ſi iam
ipſe reuiuiſcat, ſit Delium natatorẽ habiturus in uotis. In
alijs uidemur nobis officio noſtro probe functi, quod tu
demum iudicabis factum, ſi quantum uetuſtatis, eruditio-
nis, rerum reconditarum hic libellus cõtineat, agnoueris:
Nec enim hi ſumus, qui noſtra immodice laudando cuiq;
palpum obtrudere uelimus, perſuaſum habentes tum de-
mum quidq; recte prolixeq; laudari, ſi eorum ſuffragijs,
quibus labor ſudatus eſt, probetur. Vale.

EORVM QVAE HOC HISTORIARVM libello continentur, index.

ABorigenes. 9
Aegyptus rex. 38
Aemathia à quo dicta. 25
Aeneæ aduētus in Italiā. 41
Aetatis curriculum apud alios aliter initur. 45
Agricultura quando inuenta. 29
Alpium diuiſio. 55
Alſietina aqua inſalubris. 66
Altadas rex Babyl. 34
Anio uetus. 62
Anio nouus. 67
Anni diuerſitas. 45
Apenninus mons. 12
Apennini diuiſio. 15
Appia aqua quando deriuata ſit in urbem & à quo. 61
Aquæ ducendæ ius penes quos fuerit. 88
Aralius Babyl. rex. 30
Arbaces Medorū rex. 43
Arcadia ab Arcado dicta. 25
Arcus neroniani. 69
Argiletum ubi & unde dictum. 15
Arius Babyl. rex. 30
Armatrites Babyl. rex. 32
Aſcades rex Babyl. 37
Aſcanius Latinorū rex. 41
Aſſyrij unde dicti. 45
Angerona dea ſilentij. 58
Auguſta aqua. 66
Aurea ſecula unde dicta. fol. 48

B

Babyloniæ origo. 22
Baleus Babyl. rex. 31. & 33
Balnearum ius. 93
Belochus rex Babyl. 32
Belopares rex Aſſyrior. 39
Belus Babyl. rex. 24
Beroſi hiſtoria quid contineat. 38
Betica unde dicta. 32
Bononia unde dicta. 7

C

Cadmus apud Sydonem regnat. 39
Cadmi quot fuerint. 47
Caduca aqua. 88
Calix quantum capiat. 74
Capitolium. 13
Capua à quibus condita. 57
Celtiberorum origo. 23
Ciuile primum bellū quando. 37
Claudia aqua. 66

Cœli

Cœli quare dicti sint nonnulli. 45
Cœlius Rufus scriptor. 82
Cœlius mons Romæ unde dictus. 52
Crabra aqua. 65

D

Danaus rex Aegyptiorum. 38
Dardanus Aegyptiorum rex. 38
Ductuum aquarum alitudines. 68

E

Enianum urbs. 11
Erichthonius rex Troianorum. 39
Exquilinus mons. 9

F

Faunius Aboriginum rex. 40
Fistulæ solutæ. 95
Francus Hectoris filius Celtarum rex. 41

G

Gallia togata. 8
Græcia magna. 8
Græcorũ in mentiendo impudentia. 4

H

Hadriaticum mare. 7
Harmonia uxor Cadmi. 40
Hercules Typhonem sustulit. 34
Herculis nomen cuiusmodi. 10
Hercules quare appellati sint. 45
Herculaneus riuus. 67
Hetrusci unde dicti sint. 3
Hiberi unde dicti. 28
Historicorum leges. 42
Homeri octo fuerunt. 14. & 46

I

Ianus Vaticanus dictus fuit. 5
Ianus sacrificiorũ ritus docuit. 49
Ianuæ à Iano dictæ. 49
Ilus rex Troianorum. 40
Inundationes aquarũ quot fuerint. 47
Ioues qui sint dicti, & quam ob causam. 45
Isis quæ sit. 28
Italia pleraq; mutuata est ab Hetruscis. 3
Italiæ origo. 4
Italiæ multa nomina. 5
Italiæ diuisio. 6. & 54
Italiæ transalpinæ diuisio. 57
Italiæ imperiũ penes quos fuerit. 47
Italiam qui incoluerint. 1

Iulia aqua. 64

Iunones quæ dictæ sint. 45

L

Laomedon rex Troianorum. 40

Larius lacus. 8

Latinus rex Aboriginum. fol. 41

Latinus Syluius rex Latinorum. 41

Lemannus rex Celtarũ. 40

Liguria quæ pars Italiæ dicatur. 55

Luca urbs unde nomen inuenerit. 11

Lydi populi unde dicti. 2

M

Macedonia unde dicta. 33

Mæoniæ urbes. 1

Mæones unde dicti. 24

Mamelus rex Babyl. 36

Mamithus rex Babyl. 35

Mancaleus rex Babyl. 35

Maſſagetas quis propagarit. 24

Marſi. 8

Martia aqua. 63

Mediolanum. 7

Metaſthenes hiſtoricus q̃ tempore floruerit. 44

Mezentius rex Thuſcorum. 41

Mnaſeas Phœnix hiſtoricus. 14

Moſeas antiquiſſimus hiſtoricus. 14

Mundi origo. 4

N

Ninus rex Babyl. 26

Nini plures fuerũt. 46

Noas Rituales libros reliquit. 1

Nouaria. 7

Nymbrotus. 21

O

Octauianus ſpecus. 70

Oenos urbs gygantum. 16

Oenotrius Arcas. 1

Ogyges plures fuerunt. 46

Olanum. 7

Oletare quid ſignificet. 89

Olympus q̃d ſignificet. 46

P

Padus. 7

Palatinus mons. 13

Pallas Tritonia quare dicta. (28

Perſarum reges. 43

Pharao Menophis Aegyptiorum rex. 39

Phoronæi quot fuerint. 45

Piceni. 8

Picus rex Aboriginum. 40

Piſa urbs à quo condita. 11

Precutij. 8

Prothei plures fuerunt. 47

Q

Quirinalis mons. 13

R

Regna præcipua mundi quæ. 17
Rheæ quæ dictæ. 45
Rhetij unde dicti. 6
Roma. 9
Romæ ueteris nomina. 53
Romani à Romo. 39
Romani uernæ sunt Thuscorum. 52

S

Sabini. 12
Sagi. 12
Sagæ nomen quid sonet. 19
Salinæ. 62
Sarmatæ à Thuyscone conditi. 24
Saturnos quos dixerint ueteres. 45
Scythæ omnium sunt antiquissimi. 4
Semiramis regina Babyl. 28
Senegallia. 7
Sicania unde dicta. 32
Soranus proditi nominis urbis Romæ pœnã luit. 58
Sparetus rex Babyl. 36
Spherus rex Babyl. 36
Syluius rex Latinorum. 41

T

Tarpeius mons. 13
Tepula aqua. 64
Thuscus uicus Romæ. 53
Thuscorum dij qui sint. 3
Torebi in Asia unde dicti. 2
Troiæ euersio quo anno. 41
Troiani reges. 14
Tutela ductuũ aquarũ. 96
Typhon gygas. 33
Tyrrheni delphini quare dicti. 2
Tyrrhenorum origo. 1
Tyrum quis extruxerit. 25

V

Vellia altera palatini pars. 13
Venetia. 6
Vesta dea quæ sit. 29
Virgo aqua. 65
Volaterræ. 11
Vortumnus deus. 29

X

Xanthus historicus Lydus. 2

Z

Zameis rex Babyl. 29
Zoroastes quis fuerit. 20

MYRSILI LESBII
DE ORIGINE ITALIAE ET TYRRHENORVM LIBER.

ITaliam coluere Græci, Arcades, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi, Pelaſgi, Iapyges, Lacedæmones, Salẽtini, Pelij, Oeniani, Achæi, Oropitæ, Pylij, Piſi, & eiuſcemodi. Horũ primus Oenotrius Arcas cum Peucino fratre colonias trãſportauit, ubi habitabãt tunc dicti Auſones, ubi nũc Oenotria regio eſt è regione Peucinorũ. Hæc fertur prima colonia ex Græcis, paulominus quindecim ætatibus ante ruinas Troiæ.

Tyrrhenorum origo.

Tyrrhenis originem quidem ſuſpicantur fuiſſe à Lydis. Exiſtimant enim Aty regi Mæoniæ, prognato Hercule & uirgine Omphale, filia Iardanæ reginæ Mæonũ fuiſſe geminos Lydum & Tyrrhenum, cum regnũ neq; duos caperet, & neque terræ ſterilitas ingentem multitudinem pateretur, ſorte Atys iacta Lydum ſucceſſorem deſignauit, Tyrrhenũ uero cum maiore parte populi ad quærendas nouas ſedes foras abire iuſſit. Is in ſeptentrionalem Tiberis partem ueniens, eiusq; totam medietatem à fontibus uſq; ad locum ubi erat priſcis Vmbris habitatio tenuit, & cum eis conſedit & cohabitauit, & urbes dictas hactenus Mæonias & Tyrrhenias ædificauit.

Mæoniæ urbes.

Sed hi aperta mendacia fingunt: nam de gentis antiquitate & origine magis creditur ipſi genti atq; uicinis, quàm remotis & externis. Magis igitur creditur ipſis Lydis & Tyrrhenis, atq; his uicinis Romanis, & qui conſentiũt in eorum patria hiſtoria & origine, ꝙ quibuſuis alijs quamuis aliâs eruditiſſimis. Cæterum quæcunq; hi patrij hiſto-

rici dicũt, aduersantur supradictæ traditioni de Tyrrheno Mæone. Etenim Xanthus Lydus in patria historia, nullum Tyrrhenum Atym fuisse scribit, sed geminos Lydũ & Torebum, à quibus Lydos & Torebos in Asia populos esse tradit; in nullo penitus differentes, nisi quadã prolatione, & quidem parua, ut Dores & Attici. Quis ergo ex Lydis historicis Tyrrhenum filium Atyos & fratrem Lydij misit in primam medietatem Tiberis, ubi antiquissimis Vmbris fuit prisca habitatio? Quum etiam quod tradit de bello Pelasgico Xanthus, asserit Pelasgos antiquiores Aty aggressos bello Thusciam, quæ quondam Vmbria dicta est, occupasse † Crotonem, inde Tiberinam regionem inuadẽtes etiam ipsam Tyrrhenam cepisse, & cum Tyrrhenis cohabitasse, & ab eis plurimã militarem peritiam didicisse, præcipue nauticam, qua tunc toti orbi erant admirabiles. De quibus fabulantur Græci, quod in Delphinos uersi sint, qui nauibus alludunt, & his socij fiunt. Re eñ uera tunc Delphini ob piraticam simul & dominium maris dicebantur; erant enim classe potentes, & undiq; colonias transportabant. Argumẽto sunt qui Tyrrheni dicũtur in insulis Atticis, & faucibus Thraciæ. Nanque Tyrrhena simul lingua, & cum quibus habitant loquuntur, & eosdem deos ut Tyrrheni colunt, & ijsdem literis utuntur. Quare non possunt dici ab aliquo Atyos filio, qui ante Atym Pelasgum'q; regem inueniuntur dicti Tyrrheni, & multarum coloniarum autores eodem nomine atq; ritu ante Atym præscriptarũ. Hæc à Lydis diximus. Nunc quid de se Tyrrheni dicant est inferendum. Primum rident se ab aliquo aduena denominatos, qui se solos indigenas in Italia existimãt, atq; à uetustissimi dei sui, quem Ianum Vadymona uocant, filio Razenua nominãt. Tetrapolim quoq; suam Hetruriã, eius'q; partem

Xanthus historicus.

† *Taraconem Strabo nominat lib. v.*

Tyrrheni Delphini dicti.

Tyrrheni indigenæ.

partem Bolturſenam, Vetuloniam, Thuſſam: & Harbanum cognomine Calumbum à lyco nuncupant: eamq́ à ſuo deo aureo ſeculo mox poſt inundationem terrarũ, nedũ ante Atym conditam aſſerunt. Nã & ab inundatione ipſa ſuum agrum ſua patria lingua uocant Saleombronem, ubi primum geniti Vmbri. Producunt quoq; ſuæ uetuſtatis ueſtigia multa, ut deos, ritus, mores, literas, leges. Quæ profecto omnia congruunt his quæ probatiores Græci hiſtorici tradunt. Scribunt enim ſolos Tyrrhenos in Italia uetuſtiſſimos eſſe, qui neq; ab alijs pendeant origine, neque ut cæteri cõuenæ & aduenæ, ſed propria regione eſſe oriundos: quandoquidem uetuſtiſſimis differant dijs & moribus nedum ab alijs Italiæ populis, ſed etiam à uicinis Crotonienſibus & Peruſinis à fronte, & à proximis Phaliſcis à tergo, quos inter medij iacent. Nam cunctis Thuſcis dij deæq́ue ſunt Iupiter & Iuno: Soli Tyrrheni colunt Ianum & Veſtam, quos lingua ſua uocant Ianib Vadymona, & Labith Horchiam. Ipſi quoque Romani fatentur Hetruſcos eſſe uetuſtiſſimos, & aureo ſeculo natos, à quibus aras, ritus, diuinationes, colonias & diſciplinas habuit priſca Italia, initio ſumpto à prima eorum tetrapoli dicta Hetruria, à qua illos Romani Hetruſcos cognominãt. Nõ eſt igitur aduerſarijs ulla uia, qua probẽt eos Tyrrhenos à filio Atyos habere uel nomen, uel originẽ: ſed id nomẽ deſumpſiſſe à Turſibus. Quod ſi etiam ad hos uenit Torebus filius Atyos, utique non ab eo aduena nominati ſunt Tyrrheni indigenæ, ſed ecõtrario ab eis Torebus fuit cognominatus, Tyrrhenus à Græcis. Igitur etſi totam Italiam coluerint Græci, ut noſtri tradunt, ex ipſis tamen Lydis & Tyrrhenis uicinisq́ Romanis falſa eſſe oſtendimus, quæ contraria his de Tyrrhenis multi, ut diximus, conſcripſerunt.

Thuſcorũ dij.

Italia multa eſt ab Hetruſcis mutuata.

Hetruſci unde.

M. PORTII CATONIS EX LIBRIS ORIGINVM FRAGMENTA.

Græcorũ impudentia.

GRæci tam impudẽti iactantia iam effundun tur, ut quoniã his dudũ nemo responderit, ideo libere à se ortam Italiã, et eandem spuriam simul & spurcã atq; nouitiã nullo certo autore aut ratione, sed per solam insaniã fabulẽtur. Quam ob rem nunc ut cæteris Latinis uiam faciam, quæcunq; memoria prodita gentibus Italiæ sunt, & nunc Romano imperio subditis, Dijs uolentibus scribere instituo.

ITaliæ splendidissima origo fuit cum tempore, tum origine gentis. Cœpit eñ aureo seculo sub principibus dijs Iano, Camese, Saturno, gẽte Phœnice & Saga: quæ post inundationem terrarum per orbem prima colonias misit. Et de mundi quidem origine autores non paria sentiunt. Nam Chaldæi sibi sempiternitatem persuadent. Phœnicibus uero ac Sagis magis placet origo. Inter utrosque conuenit, ante Ninum circiter annis L & CC, quibus durauit aureum seculum, terras fuisse inundatas, & in Scythia Saga renatum mortale genus. Siue enim ab æterno mundum existimes, & ignis principio cuncta tenuerit, & sensim in sua loca elementa coëuntia homines produxerint: siue ut fertur ante aureũ seculũ terras subrutas inundatio possederit, & exiccata humo apparuerint homines, equidem principatus originis semper Scythis tribuitur, à quibus auctis colonias per orbem missas ferunt. Et ex his uenisse Ianum, cum Dyrim & Gallis proge-

Mundi origo.

Scythæ antiquißimi.

progenitoribus Vmbrorũ, ratecꝙ cum colonis per Tiberim uectum, ad læuum Tiberis Hetruriã tenuisse locum, ubi colonias in continente primũ exposuit, & ipsum deũ simul Vaticanum habitum dictumcꝙ fuisse. Et regionem Vaticanam, id est, uagicanam dictã, quod ibi Ianus quasi in cunis natam primumcꝙ uagientem Italiam exceperit. Inde cum colonis à Vaticano progressum, in tractu Vmbriæ fundasse regiam, & fano Olympũ fossamcꝙ sacrasse, & augustalem Tyrrhenam non longe à regia dicasse: ubi ad salutandũ regem XII. coloniæ nonis lunaribus cõuenirent. Inde duodenis colonijs fasces ad continendos rudes scribunt, singulo prætoriano lictori quatuor & uiginti armatis ingenuis distributis. Eas posuit colonias ad ripas quidem Tiberinas Ianiculũ, & Atyn Ianum: ad ripas Arni totidem, Phesulas, & itidem Atyn Ianum. Ad littus Hetruscum quatuor, Pheregenen, Volcen, Volaterram, Cariaram, quæ & latine Luna. In mediterraneis quatuor, Ogygianum, Aretium, Rusellas, Volsinium. Paulopost dextrum Tiberis latus regulis suis permisit Camesi, à quo Camesenæ duæ, & Saturno, à quo Saturnia olim, quod nunc Capitoliũ, & ab ea late Saturnia terra. Hæc prima fuit aurea illa ætate & quidem augustissima origo Italiæ.

Ianus Vaticanus. qsi uagicanus

Arretium

Italia complura à dijs & ducibus sortita fuit nomina: à Iano quidem Ianicula, quem quidam Oenotriũ dictum existimant, quia inuenit uinum & far. Camesena à Camese, & à Saturno Saturnia: Saleombrona quocꝙ à gentilibus. Durauit Saturniæ nomẽ totidem fermè annis quot ante aurea ætas, usꝙ ad Apim deorum Italiæ ultimũ, ut Antiochus Syracusanus scribit, à quo Apennina, quam Taurinam idem interpretatur. Et si Græci de more quidã à bobus Herculis: uel quod opimos gignat Italia, ut ait Hellanicus: aut à Vitulo egresso, ut Herodotus: uel qui-

Italiæ nomina.

ατα optimos

dam Græci boues uocãt ἰτάλȣς, ut fabulatur Timæus, di ctã existiment. Inde à duobus fratribus, altero Hesperia, altero Italia postremum nomẽ retinuit. His nominibus principio nũcupata fuit Italia circa Tiberim, ut qui inter omnes Italiæ amnes in omniũ deorum & principum tutela esset, atq; imperij totius ex his cõmunis sedes: à quo in principio & origine ipsa Italiæ Albula nomen à Ianigenis habuit. Diuiditur autem in Apenninos montes, & cisapenninã, & transapenninam Italiam. *Italiæ diuisio.* Alpes omnes Italiæ colonias fuisse Thuscorum incolæ asserunt, & ab ipsis uel ducibus, uel capitibus originum nomina gentibus & locis indita: ut Rhetij à Rheto rege Lydorum: & Veronenses, à Verona colonia Thusca: *Rhetij.* Comenses à Coma: Rhegij à Rhegio: Volturreni, à quibus uallis Volturrena: & Osci, à quibus Oscela. Histria quoque à duce misso à Iano nomen retinet. At Græcorũ quidam scribũt dictũ ab Istro amne cognomĩe Danubio, cui Danæ gentes acolæ nomẽ impressere, fabulanturq; ramum ex eo in Histriã effluere, inq; Hadriaticũ mergi. Fingunt alij Argonauim n Histriam primum ab Istro è montibus humeris uectam, & in Hadriaticum demissam. Videlicet tanta est in mentiendo Græcorum uanitas simul & leuitas, ut ab Istri ostijs ad eius fontes per immensa gentium spatia transuolarint, & amnes etiam obstantes tranarint, & humeris ea cõuecta cõnauigarint, ut etiam in Italia mentiendi sibi loca inuenerint. *Græcorum leuitas.* Nescio Argonaui ne Græci aquas, an Argonauis humeris montes nauigarit.

VEnetia est omnis ora circum sinum maris post Histriam usq; ostia Padi. Quibusdam placet à Tylauento illos exordiri. Nam Taurisanos Persæ gentem ab Api duce conditam asserunt. Venetis cunctis prima origo phaëtontea est, quæ Græcis occasionem mẽtiendi de phaëtonte

phaëtonte & Eridano præbuit. Posterius mixta his nobilis stirps Troiana, à quibus Patauiũ suo cõditore inclytũ.

Omnia sub Alpibus transpadana loca prisci conuenæ Thusci missis colonijs tenuere, ab hisq́ multa loca nomina retinent. Plura deleuerũt Galli, qui primi Arunte Clusino duce alpes transcenderunt, & sensim ab omni Gallia cisalpina Hetruriã pepulere, ab hisq́ nomen sortita retinet Gallia cisalpina, qua Mantua suo cõditore Ocno Bianoro est Thuscorũ rege illustris. Penetrauere trans alpes Boij, Senones, Insubres, & aliæ Galliæ trãsalpinæ gẽtes. Gallia cispadana olim Bianora à uictore Ocno, postea Felsina dicta usq́ Rauennã, nũc Gallia Aurelia & Aemilia à Romanis ducibus nomen habet. Princeps metropolis Felsina primũ à rege Thusco conditore, inde à successore Bono Thuscaniensi Bononia dicta. Spiretũ Padi ostiũ à Pelasgis cõditoribus Spira dictum, & à Diomede instauratũ. Nouaria ante ab Herculis Aegyptij nomine Libya: & à cognomine Aria Aegyptio uocabulo Leonina: sed à Liguribus instaurata, Nouaria dicta est. Olanum ante ab Thuscorũ duce, qui cum Oropijs colonis ibi primus insedit, quorum origo incerta uti Comi, Bergomi, Lycinophori, & aliquot circa populorũ: inde ab Insubrium principe nomine Medo adaucta, Mediolanum nomen seruat. Padus ante à duce Coloniarũ Eridanus, sed à profunditate Botigon ab Hetruscis, & Botigum à Liguribus, & à circa arbore Picea, Gallice Padus nuncupatur. Post Padi ostia Rauenna, sabina stirps. Interijt Saga oppidum Hetruscorũ, uti & Atria, à quo mare Atriaticum, quod nunc Hadriaticum. Gallia flaminia à Rauenna ad Ariminum à comitibus Herculis conditum, à quo cognominatur. Ab eo ad Anconam Senegallia à Senonibus dicta pulsis Hetruscis, nũc Gallia Togata. Anco

Bononia.

Nouaria.

Olanum.

Mediolanũ.

Padus. Eridanus unde

Hadriaticum mare.

na prius Picena uocabulo Hetruſco ſimul & Aboriginū dicta. Galliam Togatam primi coluere Liburni & Siculi, quos pepulere Vmbri. Hos Hetruſci trecētis & amplius eorū ualidiſſimis oppidis iuſti more belli expugnatis, eos tandem uicere Galli. Piceni lingua Hetruſca genus ſacrum dicitur, orti à Sabinis. A Picenis Garganum montem alijs & alijs temporibus diuerſæ gentes tenuere. Marſi, à duce Lydorum, in quibus Aſculū. Precutij, in quibus Hadria ſiue Atria. Veſtini, in quibus Amiterni. Marucini & Peligni, in q̃bus Curſellū, Orton & Sulmo. Ferentani primum à Liburnis & Dalmatis, inde his pulſis à Thuſcis orti, quorum lingua Larinum metropolim uocauerunt, id eſt nobilem principem: Laronem enī Hetruſci & Larunem & Arunem uocant nobilem principem. Inde in tranſpadana Larium lacum, & in Thuſcia Larones amnes, & Arunes coloniæ, & uiri Arunes, q̊s Thuſci ſecūda declinatione, Romani & Græci ſicut Atlas tertia declinant & proferunt Aruntes. A Gargano ad Brunduſium, coluere Celij, Daunij, inde Apuli, Boij, in quibus Arpe, Canuſium, Bararium. Sub his Apenninus ex tranſuerſo diuidit in duo fines Italiæ quos inter Tarētinus ſinus iacet, circum'q; ipſum undiq; magna Græcia. Ad orientem uero magnæ Græciæ pars eſt Oenotria Arcadum, & Calabri, prius Auſones: ad quos Græca uerboſitas fert ueniſſe primā Græcorum claſſem annis fermè quadringentis ante ruinas Troiæ: cū Oenotrium ducem Arcadum poſt Troiam conditam adnauigaſſe in Calabriam tradat Antiochus Syracuſanus, & circa oram maritimam poſuiſſe colonias. Et ut parcius mentiantur Græci, ab eo quondā dictam Italiam Oenotriam ſcribunt: cum ab initio Italiæ à uetuſtiſſimo rege Sabinorum & Hetruſcorum, penes quem erat imperium, id nomen ſo

Gallia Togata.

Piceni.

Marſi.

Precutij.

Larius lacus.

talia à quo oenotria

men ſo

men sortita fuerit. A Leucopetra ad Sarnũ amnem uicinum Neapoli tenuere diuersi populi, Vmbri, Itali, Samnites, Siculi, Peucini, Picentini, & Hetrusci: quorũ urbes sunt Clusium, Pæstũ, Elea, nunc Velia. Inter amnem Vulturnũ & montes Apennini Sabelli sunt, proles Sabinorum, ut nomen est argumento, à Latinis Samnites, à Græcis Saunites appellati.

A Tiberi ad Sarnum incoluere primi Aborigines, proles Vmbrorum. Princeps his urbs uetustissima Camerena à Camese cõdita, non procul ubi postea Alba. Thusci his admixti. Osci, qui nunc Capuani. Volosci, quos uocamus Volscos, quibus metropolis fuit Anxur, nunc Taracina, Stabia, Antini, Hortenses, Longhani, Oscori, Macrani, Nuetini, latine Grauiscæ, Picenti, Sorani, Ferentinates, Freginates, Sangnini, Tusculani, Cortinenses, Vrsentini, Volcentani. aborigines volesci Anxur

Roma principio sui pascua bobus erat. Circũ Tiberim septem rupes sibi perpetuæ in Hernico succedentes, cauis paruis distinctæ erant, sub quibus alueũ Tiberis quandoq; egressus paludes in planiciem rupibus subsidentem inferebat. Saturnus primus incoluit Capitolium, Italus Auentinũ, Roma palatium, Cœlius cum Thuscis Cœliũ & Viminalem, Romulus palatiũ, in quo quadratam Romam condidit, etiam Exquilinum tenuit ab Excubijs dictum, quas illi Lucumo dedit more Thusco duodecim lictorum, id est, trecentorum armatorum ad custodiam corporis simul & dignitatem: quia Tacius non erat sine suspitione infidæ societatis. *Roma.* *Exquilinus mons.* Xandr

Hetruria, olim Italiæ princeps, ab eorum metropoli regia sic cognominata, à Tiberi in Macrã diffunditur. Gens prima illorum maritima Ligurum, dicta à filio phaëtontis Ligure, quem montani Ligures Pheriton nuncupant.

Post Tiberina ostia. Pheregene primum Hetruriæ oppidum in uicino littore, dictũ à Genio Iano, qui primus ibi colonias posuit: et à Pheritone, id est, Phaëtõte, qui colonias adiecit, uti in Liguria montana, ubi à Genij colonijs Genua oppidum: & ab adiectis Pheretianis ibidem colonis amni proximo & regioni Pheretianæ nomẽ reliquit. Primus omnium græcorum Phaëton ex Attica soluens, cũ Ligure filio, multis ætatibus et seculis ante Oenotriũ Arcadem colonias adiecit Italico littori, ab ostijs Tiberinis usq; ad Nicæam Massiliensium: & in medio portum Ligurnum à filio nuncupans, ultro citroq; littus omne Liguriam dixit. Verum Hetrusci, & eos secuti Romani ab ostijs Tiberinis Hetruscũ uocauerunt usq; ad caput Hetruriæ. Inde Populonium, ab urbe metropoli Popium, romane Puppiũ. Postremo à Ligurno portu ad Macrã, ad cuius fontes est Apua oppidũ, Apuanos Ligures uocant: Montanos uero omnes Ligures qui à Macra in Nicæam effundunt. In mõtanis Liguribus sunt portus Herculis Aegyptij. Nam Libarnum in his est à nomine simul & cognomine illius. Græci ubicunq; nomen Herculis audiunt, putant esse suũ, à nõmine sumentes argumentũ, cũ tamen ille neq; nomine Libyus: à quo deuicti Libyi: sed Alcæus dictus sit: neq; dictio Hercules sit græca, sed ægyptia: nã illi Heraclio, id est, Iunonis gloria, cognomẽ fuit.

Hercules.

Gens prima Hetruriæ maritima est. Oppida in his Pheregene, Alsium, Agylla, quæ & Cære, à Pelasgis condita: Pyrgus, Grauisce, ab aëre dictũ: Cose, Volce, Telamon, ab Argonautarum principe, cum in Hetruriam ad Lucumones profectus Hercules Alcæus lacum Ciminiũ effecit, & puella Faula subrepta ex Fano ad Euandrum perrexit. Vmbro fluuius limes & tractus Vmbrorum, caput Hetruriæ, limes Hetruscorum, Populonium nauium & classis

classis Hetruscorum olim princeps. Volaterræ & uada eius. Pisa condita à Pysis alpheis pelasgis. Luca illustris Lucio Lucumone rege Thuscorum. Lucus & montes Feroniani. Luna, Cariara ab Hetruscis dicta, à Græcis σελήνης. Apua in transitu Apennini ad fontes Macræ: un de Apuani Ligures ab Arno ad Macram. *Pisa.* *Luca.*

A Tiberi ad Ciminia iuga secunda gens Thusciæ est, cognomine à Thuscis. Larteniana, id est, metropolis Eni ana. Lartem enim summum regum uocant. Enianum ue ro urbs in ea ab Enetanis Pelasgis cõdita, quam Veij He trusci pulsis Pelasgis ampliatam à principatu prouinciæ simul & cõditoribus priscis Lartenianum, Romani uero à genere populi Veiens uocauerunt. Oppida in his sunt Sabum in Sabatia à Sabo conditum: Lartenianũ, cogno mine Veiens, Nepeta, Soracte, Phaliscorum mons Apol lini sacer: Phaliscanum, Fescennium, Vmbricum, à pri=scis Vmbris dictum Flauianum, Arcennum, Mœsium à quo sylua Mœsia, Rusellum, Aræ Mutiæ, Sutrium, à Pe lasgis conditum, ab insigni grano dictum, romana societa te inclytũ. Capina, à qua Capinates, Lacus Ciminius, & Troitum Phaliscorum, finitimum Hetruscis. *Enianum.*

Gens tertia Thusciæ transciminia à Ciminijs diffundi=tur ad Pistorium. In his Volturrena sub radicibus Cimi=nijs iacens, cognomine Hetruria: à qua tres gentes He=truriæ appellantur Hetrusci, ut à communi metropoli, & ager Hetruscus antea Vmbronus dictus, ubi Vmbri orti. In eo agro Ferentia, Trossolum, Mœonia Mœo=num, Tyrrhena, Volturna, sub Volturrena, Aruntes ue teres, cognomine Camillarij: Longius Blere Oleana, Tus sa Nana, Lartes oppidũ, Salembrona, Cort Nossa, Cort Enebra, mons Coriti in iugis Ciminijs: è regione mons Phiscõ, quæ & arx Iti: Volsine, Pelij, Oropite Sentinas,

Clusium uetus à pugna sed à duce Comersolo: montes Tumniates, Sora, Soana, non procul Saturnia lapides à Ioue compluti in auxilium Herculis contra Ligures Hetruscos gygantes, à filio dicti Lamones: amnis Pelia: mõs Pelius. Mons Tumnias Roselle: Vmbro in monte Sena colonia, Phocenses, Pistorium, Vmbro amnis, Stellates, Fluentini, qui & Arnienses, Clusium nouum, unde Clusentinus transitus Annibalis, Aretium: Crotona à Crotone socio Herculis condita.

Aretiu

Apenninus mons. Apenninus mons Italiã in duo secat, radices sub Pennino transitu Annibalis in Alpibus à Nicæa ad ipsum fermè Penninũ in latitudinẽ extendũtur, & usq; ad Macram Ligures montani incolunt: à Macra item ad fontes Tiberis ad inferum mare Thusci: ad superum Galli Aureliani & Aemiliani. A fontibus rursus Tiberis ad Narem Vmbri inhabitant. Principio Typhernum, & in fine Ameria & Tuder sunt. Galli omnem Vmbriam pulsis Hetruscis occupauerunt, exceptis Typherno, Esisio, Hyspello, Fulgineo, & uetusta Veiorum prole, quam Veilumbram, id est, Veiam prolem antiquam Vmbram dicunt, in quibus principes sunt Spoletum, Tuder, Meuania, et Ameria fermè noningentis annis et amplius restituta ante Persicũ bellũ, à Veijs Hetruscis antea cõdita, duce Ameroẽ, Atlantis Itali ex Pleiona uxore filia. A Nare porrò amne

Sabini. usq; ad Equiculos tenent Sabini à Sabo cõditi, Sabatio Sangni gentili edito: Inde ad fontes Arni amnis Sabelli, Sabinorum proles incolunt.

Sangni gentilem Sabi pronunciant Sabini, Sanctum

Sagi. Romani, Sagã Barbari, à quo & Sagi primi Thusci, id est pontifices & sacri expiatores. Ex quo patet leuitas cũ loquacitate græcanica, qua à Lacedæmonijs ortos scribũt Sabinos, & Græca origine à σέβομαι dictos fingũt. Sed

Roma

Roma tum rudis erat, cum relictis literis & disciplinis Hetruscis, mirabunda Græcas fabulas rerũ & disciplinarum erroribus ligaretur, quas ipsi Hetrusci semper horruerunt; neq; ob id latinas quidem uoluerunt suscipere, usq; ad Cecinnam Volturrenum magistrum quadrigarum & augurum principem, patrem Menippi, & auum Menodori, quos ante illum pater eius Volturrenus, auusq; Titus, & proauus Turrenus semper Romanis principibus charissimi renuerunt, cum ad eas recipiendas urgerẽtur. Nam ipse Turrenus patre Elbio Volturreno, & regum Hetruscorum ultimo ad lacum Vadymonis cæso, equidẽ ad reddendam urbem Hetruriam anno secũdo Olympiadis centesimæ uigesimæ quartæ allici potuit, sed ad recipiendas latinas literas nunquam persuaderi potuit.

Palatinum collem Roma Itali filia, sed prius Palatini Aborigines tenuerunt: qui ex agro Rheatino ad pascua ouibus quærenda illò profecti sunt. Argumento est Vellia, Palatini altera pars, à uellenda lana, ante his monstratam Hetruscam tonsuram appellata. *Palatinus mõs.* *Vellia.*

Capitolium dictum à capite inuẽto fluente sanguine, dum Iouini templi fundamenta iaceret princeps Tarquinus. Nam antea Tarpeius à Tarpeia ibi scutis Sabinorum obruta, sed prius Saturnus uocabatur. Sub eo Ianus quadrifrons. Quirinus à uictoria Lucumonis à Quirino colle mouentis. Quirinalis à Iunone Sabinorum dea, quam illi curitim, id est, hastatam Iunonem uocant. Etenim hastam Curim & Curinam proferunt: quia his simul & Hetruscis non est litera q. sicut Romanis. Inde Quirites. *Capitolium.* *Tarpeius mõs* *Quirinalis mons.*

FINIS.

MNESAS Phœnix Damascenus libro nonagesimo septimo historiarũ, asserit ante Ninum ferme ducentis quinquaginta annis fuisse inundationẽ terrarum, & quendã, cui testimoniũ perhibet Moseas antiquissimus historicus, liberatum circa fluuium Araxim ad montes Caspios, tum'q; recenti cœlo & rudi humano genere uixisse auream uitam, in qua nullo ferente legem natura ipsa uiuebatur, quousq; Ninus & Semiramis arma populis inferentes, primi uitam uitiare cœperunt humanam. Tradũt igitur Chaldæi primo & trigesimo atq; centesimo ab Ogyge anno regnasse apud se Saturnum auum Nini annis sex & quinquaginta, primum'q; Babyloniæ fundamenta iecisse. Hunc secutum fuisse filium Belum Iouem, & rexisse Chaldæos & Assyrios annis duobus & sexaginta; Ninum uero duobus & quinquaginta; Semiramidem duobus & quadraginta. Ea Babyloniã magnitudine indicibili extruxit. Supputantur igitur à Nino ad secundum annum † Spheri, quo ortus est Deucalion, anni LI supra CCCC. Septingenti uero à prima inundatione nouimestri, à qua ad Troiam colligit Mnaseas annos non minus octo & uiginti supra octingentos.

† Spareti.

Troiani reges. Regnatum uero fuit Troiæ sub regibus sex: sub Dardano quidẽ uno et triginta annis; sub Erichthonio quinq; & septuaginta; sub Troë sexaginta; sub Ilo quinq; & quinquaginta; sub Laomedonte sex & xxx. sub Priamo xl.

Homeri octo. Secuti sunt anni D à captiuitate Troiæ usq; ad uicesimamtertiam Olympiadem, in quibus floruerunt Homeri octo. Horũ primus in annalibus Teutei regis Assyriorum traditur, qui uigesimusseptimus à Nino extitit. Hic Homerus, ut ibi tradit, fuit Smyrnæus, et præfectus eiusdem regis paulò ante descensum Heraclidarum in Pelo-

ponnessum, anno XX Demophoontis regis Athenien sium, quando Pyrrhus in tẽplo Apollinis fuit ab Oreste interẽptus. Hũc secutus est Homerus Chius, qui ut Chiensiũ memoria tradit, floruit arte medicinæ anno XIX Melanthis regis Atheniensiũ. Alius fuit Homerus patria Cumæus, qui, ut ipsi Cumæi perhibẽt, enituit magia magis q̃ literatura, anno XXIIII Codri regis Athenien. Quartũ, ciuem suũ prædiuitẽ Salaminenses Cyprij efferunt, arte institoria inclytũ, anno octauo Agasti Atheniensis. Biennio post emersit Homer. Colophonius, quẽ illorũ annales migratione Ionica prædicãt effulsisse arte pictoria simul & sculptili. Sextus fuit Atheniẽsis, qui, ut ipsi scribũt, illustris reuocatione abolitarũ legũ, & nouarum latione floruit sub Archippo. Septimum Argiui habent, Musicæ atq; geometricæ disciplinæ præceptis admirabilẽ, anno decimoseptimo Diogeneti Atheniensis.

Vltimũ hunc Homerũ ætas nostra cernit, qui Olympiade XXIII & à Troiæ excidio anno D patria Mæon, Olympico certamine uictor, iudicio totius Græciæ eximius poëtarum est habitus, & ei soli ius tributũ emendandi characteres, & nomina, & linguam Græcam: quæ ut ferunt, Cadmus Samothrax ferè barbara & plena ruditatis attulit sub excidiũ Troianũ: cũ reuersus esset à fuga quã inierat ob certamẽ quod illi prisca uxor intulerat, propter nuptias supinductæ Harmoniæ. Sunt ergo nũc characteres ab Homero forma elegãtiore. Nã primi barbariem quandã uetustã, & nõ phœnicã ferebant; quia nihil phœnicũ habẽt, ut cernimus, sed Galatarũ & Mæonũ figuras retinẽt. Idem Homerus reformauit characteres, & grãmaticæ præcepta primus dedit, cũ antea quisq; sermone scriberet simul & loquereẽ uernaculo. Quæ profecto etiam Italia, quæ & magna Græcia, suscepit. Hactenus de temporibus.

FINIS.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM LIBER I.

ANTE aquarum cladem famosam, qua uniuersus perijt orbis, multa præterierunt secula, quæ à nostris Chaldæis fideliter fuerunt seruata. Scribunt illis temporibus circa Libanũ fuisse Oenon urbem maximam gygantum, qui uniuerso orbi dominabantur, ab occasu solis ad ortum. Hij uastitate corporis ac robore confisi, inuentis armis omnes opprimebant, libidiniq; inseruientes inuenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabant aborsus in eduliumq; præparabant, et commiscebantur matribus filiabus, sororibus, masculis & brutis, et nihil erat sceleris quod nõ admitterent, contemptores religionis & deorũ.

Gigantes

Tum multi prædicabant & uaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea quæ uentura erat orbis perditione. Sed enim illi assueti cõridebant omnia, cœlestiũ illos ira atq; ultione perurgente pro impietate atq; sceleribus.

Vnus inter gygantes erat qui deorũ ueneratior & prudentior cunctis reliquis ex probis erat in Syria, huic nomen erat Noa, cum tribus filijs, Semo, Iapeto, Cham, & uxoribus Tidéa magna, Pandora, Noéla & Noégla. Is timens quam ex astris futuram prospectabat cladem, anno septuagesimo octauo ante inundationem nauim instar arcæ coopertam fabricare cœpit. Anno lxxviij. ab inchoata naui ex improuiso exundauit oceanus, & omnia maria mediterranea, fluminaq; ac fontes ab imo ebullientes inundauerũt supra omnes mõtes, accedentibus quoq;

Iapetus

impe-

impetuosissime & supra naturam è cœlo copiosissimis hymbribus multis diebus: conruentibus ita omne humanum genus aquis suffocatum, excepto Noa cum familia sua, quæ naui erepta est. Nam eleuata ab aquis in Gordyæi montis uertice quieuit, cuius adhuc dicitur aliqua pars esse, et homines ex illa bitumen tollere, quo maxime utuntur ad expiationem.

Ab hoc igitur anno salutis humanæ, ab aquis primordio sumpto, nostri maiores innumera scripserunt. Nos uero tædiosum illorum sermonem abbreuiaturi, referemus origines, & tempora, & reges eorum duntaxat regnorum, quæ nunc magna habentur: in Asia quidem nostrum omnium celsissimum Babylonicum, in Aphrica Aegyptium & Libycum: quæ unum primo fuerunt, & sub uno narrabimus. Postremo in Europa quatuor nostri enumerant, Celtiberum, Celtæ, Kytim, quod ille gentes Italicum appellant: & Thuysconum, quod à Rheno fluuio per Sarmatas in pontum finit. Addunt quidam etiam quintum dictum Ionicum.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM LIBER II.

NECESSE est igitur nos ex præmissis confiteri, quod & Chaldæi ac Scythæ scribunt, siccato ab aquis orbe, non fuisse nisi dictos octo homines in Armenia Saga, & ab his omne hominũ genus in terris seminatum, atq; ob id Scythas recte dicere & appellare Noã omniũ deorum maiorũ & minorũ patrem, & humanæ gentis autorem, & Chaos, et semen mundi. Thyteam uero Aretiam, id est terram, in quam semen Chaos posuit, & ex qua

Scythæ primi

Aretia

tanquam ex terra cuncti prodieruut. Præter uero tres primores filios, Noa post diluuium gygantes pluresq; filios genuit. Quare ad abbreuiandũ plurimum conferet, si omnium posteritates figurabimus, ab ipso Noa sumpto exordio; deinde sigillatim à cæteris. Primum itaq; dixerunt Ogygisan Sagam, id est illustrem sacrorum pontificem Noam Dysir.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM LIBER III.

HAS igitur principium atq; Heroum origines atq; posteritates abbreuiamus ex nostris Chaldæis atq; Scythicis libris, quoad satis sit. Nã & multos alios memoriæ mandant, quos quia uel nihil ad nostram intentam accurtationem, aut parum afferunt, ob id dimittimus, resumpturi illos ubi opus fuerit.

Quo pacto exinanitus orbis fuerit colonis & hominibus oppletus, dicendum est. Exiccata humo, & torrefacta terra, Noa cũ familia de monte Gordyeo, ut par erat, descendit in subiacentem planiciem, plenam cadauerum, quam usq; ad hanc ætatem appellant Myri Adam, id est euisceratorum hominum; & inscripsit in lapide in monumentum rem gestam, & uocant incolæ locum, Egressorium Noa. Compressi uero coniugibus perpetuo geminos edebant marem & fœminam, qui adulti, & coniuges effecti, & ipsi binos partu liberos semper edebant. Neq; enim unquam deus uel natura defuit rerum necessitati, quæ ad uniuersi orbis spectat opulentiam. Peracto breui & in immensum adaucto humano genere, omniq; Armenia completa, opus erat eos inde recedere, atq; nouas sibi

vno partu post diluuiũ geminos natos alterũ marẽ alterã uero fẽminã

sedes

ſedes conquirere. Tunc ſeniſſimus omniū pater Noa iam antea edoctos Theologiā, & ſacros ritus, cœpit etiā eos erudire humanam ſapientiam. Et quidem multa naturalium rerum ſecreta mandauit literis, quæ ſolis ſacerdotibus Scythæ Armeni commendant. Neq; enim fas eſt illa ulli inſpicere, aut legere uel docere, quàm ſolis ſacerdotibus, & inter ſacerdotes duntaxat, ſicut & quos Rituales libros reliquit, ex quibus illis primū Saga nomen fuit inditum, id eſt ſacerdos, & ſacrificulus & pontifex.

Docuit item illos aſtrorū curſus, et diſtinxit annum ad curſum ſolis, & XII menſes ad motū lunæ: qua ſcientia prædicebat illis ab initio quid in anno, & cardinibus eius futurū cōtingeret. Ob quæ illū exiſtimauerunt diuinæ naturæ eſſe participem, ac propterea illū Olybama & Arſa, id eſt Cœlū & Solem cognominauerūt, et illi plures ciuitates dedicauerunt. Nā & ad hæc tempora Scythæ Armeni urbes habent Olybama & Arſa Ratha, & eiuſcemodi. Cumq; iuiſſet ad regendū Cytim, quam nūc Italiā nominant, deſiderium ſui reliquit Armenis, ac propterea poſt mortem illū arbitrati ſunt animā cœleſtiū corporū, & illi diuinos honores impenderunt. Et ob id ſolū hæc duo regna, Armenū quidē, quia ibi cœpit, Italicū uero, quia ibi finiuit, & docuit, & regnauit, naturaliumq; atq; diuinorū, quæ eos erudiuit, libros pleniſſime illis conſcriptos reliquit, illū uenerantē, ſimulq; cognominātCœlū, Solē, Chaos, Semē mundi, Patremq; deorū maiorū & minorū, Animam mundi mouentem cœlos, & mixta, uegetabiliaq;, et animalia, & hominē: Deū pacis, iuſtitiæ, ſanctimoniæ, expellentē noxia, et cuſtodientē bona. Et ob hoc illū utræq; gentes ſignant in ſcriptis curſu ſolis, & motu lunæ, & ſceptro dominij, quo malos & noxios expellebat à cœtu hominū, et caſtimonia corporis et ſanctimōia animi, duabus

Diſtinctio ānj

clauibus religionis & felicitatis. Neq; minus Tideam, quæ mater omniũ erat, Aretiam, id est, terram uocabant, & Estam, id est ignem post mortem cognominauerunt: quia ipsa regina sacrorũ fuerat, & puellas docuerat sempiternũ ignem sacrorum inextinctũ seruare. Cæterũ Noa antequam discederet ab Armenia, docuit illos simplicem agriculturã, magis curans religionẽ & mores, quàm opulentiã & delitias, quæ ad illicita & libidines prouocant, & cœlestiũ iram nuper induxerant. Primus tamẽ omniũ inuenit uites, atq; plantauit, & uinũ conficere docuit, cuius uim inexpertus & uaporẽ, ebrius effectus minus pudice in terrã cecidit. Erat illi, ut diximus, filius ex tribus primis adolescentior Chem, qui semper magicæ ac ueneficæ studens, Zoroastis nomen consecutus erat. Is partim Noã odio habebat, quia alios ultimo genitos ardẽtius amabat, se uero despici uidebat, potissime uero idem infensus erat patri ob uitia. Itaq; nactus opportunitatẽ, cũ Noa pater madidus iaceret, illius uirilia cõprehendens, taciteq; submurmurans carmine magico patri illusit, simul & illũ sterilem perinde atq; castratũ effecit: neq; deinceps Noa fœmellam aliquã fœcundare potuit. Ob beneficiũ inuentæ uitis & uini dignatus est cognomẽto Iano, q̃d Aramæis sonat uitifer et uinifer. At uero Chem cũ publice corrũperet mortale genus, asserens, & re ipsa exequẽs, cõgrediendũ esse, ut ante inundationẽ, cũ matribus, sororibus, filiabus, masculis, brutis, & q̃uis alio genere, ob hoc eiectus à Iano pijssimo, & castimonia atq; pudicitia refertissimo, sortitus est cognomẽtũ Chemesenua, id est, Chẽ infamis & impudicus, incubus propagator. Est enim Esen apud Scythas Aramæos infamis et impudicus. Enua uero tum impudicus, tũ propagator. Eum inter homines huius dogmatis secuti fuerũt Aegyptij, qui sibi illũ suũ Saturnum inter

Zoroastis.

janus quar

inter deos adolescentiorem fecerunt, & ciuitatem illi posuerunt, dictã Chem Myn, à qua ad hanc ætatem omnes ciues illius appellamus Chem menitas. Verum posteri hoc uitiosum dogma neglexerunt, retento quod fuit primi moris, ut inter fratres & sorores coniugũ iniri posset.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM LIBER IIII.

MVltiplicatum est in immensum genus humanum, & ad cõparandas nouas sedes necessitas compellebat. Tum Ianus pater adhortatus est homines principes ad quærendas nouas sedes, & cõmunem cœtum inter homines augendum, & ædificandas urbes. Designauit itaq; illas tres partes orbis, Asiam, Aphricam, & Europam, ut ante diluuium uiderat. Singulis autẽ his principibus singulas partes, ad quas irent, partitus, ipse per totũ orbem colonias se traducturum pollicitus est.

Itaq; Nymbrotum creauit Babyloniæ Saturnum primum, ut ibi primum ædificaret cum colonijs suis. Quare Nymbrotus assumpto filio Ioue Belo, cũ colonijs furatus est Rituales Iouis Sagi, et cũ populo uenit in campũ Sennaar, ubi designauit urbem, & fundauit maximam turrim anno salutis ab aquis CXXXI, regnauitq; ibi annis LVI, & deduxit turrim ad altitudinem & magnitudinem montium, in signum atq; monumentum, quod primus in orbe terrarũ est populus Babylonicus, & regnum regnorũ dici debet. Ergo ab eo exordiemur, & per ipsum mensurabimus omnia regna, & eorum reges ac tempora, abbreuiando illa in hunc modum.

Nymbro fecit turris eius altitudo,

Anno CXXXI à salute ab aquis, prima omnium gen

tium & ciuitatum fundata est à Saturno Babylonico nostro urbs & gens nostra Babylonica, multiplicataq́ꝫ est nimis numero posteritatis, magisq́ꝫ studuit paci & religioni Saturnus deorum quàm opulentijs. Et turrim quidē ædificauit, sed non compleuit: nec designatam urbem fundauit, quia post quinquaginta sex annos subitò non comparauit, translatus à dijs.

Ab exordio huius Ianus pater misit in Aegyptū cum colonis Chem Esenuum: in Libyā uero & Cyrenem Tritonem: & in totam reliquam Africam Iapetum priscum Atalaa: In Asiam orientalem misit Gangem cum aliquot ex filijs Comeri Galli: In Arabiam Felicem Sabum, cognomine Thuriferum. Arabum præfecit Arabiæ desertæ, & Petreium Petreiæ. Canam posuit à Damasco usq́ꝫ in extima Palestinæ.

In europa regem Sarmatiæ fecit Thuyschonē à Tanai ad Rhenum, iunctiq́ꝫ sunt illi omnes filij Istri & Mœse cum fratribus suis, ab Adula monte usq́ꝫ in Mesembriā ponticam. Sub his tenuerunt Tyras, Arcadius, Aemathius. Italiam tenuit Comerus Gallus. Samotus possedit Celtas: & Iubal occupauit Celtiberos.

Hi sunt qui egressi sunt post Nymbrotum, singuli cū familijs & colonijs suis, reliquentes nomina sua locis in signum expeditionis à Iano patre cōmissæ, & ad monumentum posteris, ut scirent quis eorum fuerit conditor.

Hij iuxta mandatū Iani colonijs turri constructa pro metropoli, ipsi in Veijs & cauernis casas habebāt. Solus noster Saturnus idcirco excessit mandatū, quia urbem urbium, & regnū regnorum uoluit esse Babyloniā. Rursus his tēporibus Ianus cū omēs in colonias missi abiuissent, eos qui remanserant bipartitus est: Nam secum retinuit filios plurimos, quos post salutē ab aquis genuit: & item

maximam

maximam gentium multitudinem, quam ſecum in colo-
nias conducturus erat. Scytha, cum matre ſua Araxa,
et aliquot colonis qui Armeniã incolerent, rex primus re
lictus eſt, cõſtituto ſummo pontifice Sabatio Saga ab Ar
menia uſqꝫ in Bactrianos, quæ longitudo à nobis ad hãc
ætatem uocatur Scythia Saga. Poſtremus omnium ipſe
Ianus ab Armenia per orbẽ colonias ſeminaturus egreſ-
ſus eſt.

Hæc noſtri maiores multis libris tradiderũt. Nunc de
temporibus eorum ac poſteritatibus dicemus, iuxta id
quod in noſtra Chaldaica & primordiali Scythica hyſto
ria fideli memoria cõſeruatum eſt.

BEROSI BABYLONII ANTI-QVITATVM LIB. V.

VT ſupra diximus, anno à ſalute humani ge-
neris ab aquis centeſimo trigeſimo primo
cœpit regnum Babylonicum, ſub noſtro Sa
turno, patre Iouis Beli, qui imperauit annis
LVI. Anno huius X Comerus Gallus po-
ſuit colonias ſuas in regno, quod poſt Italia dicta eſt. Et
regionem ſuam à ſuo nomine cognominauit, docuitqꝫ
illos legem & iuſtitiam.

Anno eius XII Iubal condidit Celtiberos, & paulo
poſt Samotes, qui & Diſceltas colonias fundauit, neque
quiſqꝫ illa ætate iſto ſapientior fuit, ac propterea Samo-
motes dictus eſt. Anno Nymbroti XV Occeanus ad Ni
num Aegypti conſedit, & multos ex ſorore Thetide edi-
dit liberos. Inde ſuperuenit ille corruptor humani gene
ris Chemeſenuus, ubi Thelchines magicam docens ma-
xima opinione celebrabatur.

Anno XVIII eiuſdẽ Babylonici regis, Gogus Sabeã,

Arabiam Felicem cũ Sabo ſuo patre puer tenuit, & Triton Libyam, et Iapetus priſcus Atalaa Aphricã, Cur Aethiopiam, & Getulus Getuliam.

Anno eiuſdem XXV Thuyſcon Sarmatas maximos populos fundauit, & Mœſa cum filijs Iſtri priſcos Mœſios poſuit, uſq; ponticam Meſembriã ab Adula monte.

Anno XXXVIII eiuſdem regis Sagæ Armeni multiplicati poſſederunt omnem Caſpiam regionem, ab Armenia uſq; in Bactrianos, & Ianus pater Ianeos colonos tranſduxit in Hyrcaniã, & Ianilos in Meſopotamia uerſus mare ſub Babylonia.

Anno XL eiuſdem regis aliquot coloni ex filijs Comeri in Bactrianis ſibi ſedes quæſiuerunt, & Ganges in India ſedem ſui nominis.

Anno XLV eiuſdẽ regis aliqui ex filijs Mœſe ac Getuli iuncti ſimul primi Maſſagetas in India propagauerũt. Eadem tempeſtate Saturnus rex Babyloniæ miſit principes coloniarum Aſſyrium, Mœdum, Moſcũ, & Magogum, qui regna condiderunt Aſſyrium, Mœdum, & Magogum in Aſia: Moſcos uero & in Aſia ſimul & Europa. Anamæon quoq; adoleſcentulus Mæones à ſe dictos condidit, & regnauit CL annis.

BELVS SECVNDVS REX BABYL.

Secundus rex Babyloniæ Iupiter Belus, filius dicti Saturni, regnauit annis LXII, & fundamenta deſignata Babyloniæ oppidi magis quàm urbis erexit. Pace fruebatur uſq; circa finem imperij ſui.

Anno tertio huius, Comerus more Scythico, unde uenerat, docuit ſuos Italos urbem curribus componere. Et idcirco Veij appellati ſunt uocabulo Sago, qui Veias plauſtrum appellant, & urbem ex his compoſitam, ſi par

ua ſit,

ua sit, Veitulam: si magna, Vlurdum: si metropolis, Cy Ocholam. Ad hæc quoque tempora Scythæ plaustris & curru pro domibus utuntur. Et sub solario quidem stabulum, supra uero habent officinas domus. Concludit & loca à se cognominata.

Tyras postquam Tyrum fundauit, cũ principibus coloniarum littora maris tenuit, fundauitque Thraces: Arcadius Arcadiam: Aemathius Aemathiam tenuit.

Anno LXV huius Beli Ianus pater posuit colonias in Arabia Felice, & à suo nomine unam uocauit Noam, & à cognomine Ianineas. Qui uero ex posteritate Comeri erant Galli, ab auito cognomine illos appellauit Gallos.

Anno LVI huius Beli Cemesenus uenit in Italiam ad Comeros, & non comparente Comero cœpit colonias regere, atque corrumpere suis impietatibus & sceleribus.

Ianus uero pater circa Arabiæ Felicis fluuium plures colonias relinquens, & à se Ianineas cognominans, in Aphricam ad Tritonem uenit.

Hac ætate Iupiter Belus cœpit libidine dominandi torqueri, & pauloante Araxa cũ filio Scytha creato, omniũ gentium Sagarum rege Sabatio Saga atque in Armenia relicto, ipse occupauit omnem partem occidentalem ab Armenia usque in Sarmatiam Europæ.

At uero Iupiter Belus cum non posset alios subiugare nisi subacto & trucidato Sabatio Sagarum rege, clàm molitus est illum perimere. Cumque Saturnus prospiceret se non posse euadere, quod innumeras insidias sibi parauerat Iupiter Belus, clandestina fuga se tutabat, in Sagis Caspijs delitescendo. Cumque naturæ concederet, iussit filio Nino ut Sabatium Sagam funditus deleret, & omnes populos Babylonico regno subijceret, quia omnium in orbe primum fuisset. Quo accepto Sabatius delitescebat

in Bactrianis Sagis, quousque cerneret tempus idoneum uel ad regnũ, uel ad fugam. Ita arma Iouis contra eum parata illum regno pepulerũt circa tempora Semiramidis.

Eodem tempore Triton reliquit filium Hammonem, regem Libyæ, qui accepit coniugem Rheam, sororem Camesenui Saturni Aegyptiorum, sed tamen ex Amalthea adolescentula clàm Rhea Dionysium sustulit, & in Nysam urbem Arabiæ educandum misit.

NINVS TERTIVS BABYL. REX.

Tertius rex Babyloniæ à nostris scribitur Ninus, Iouis Beli filius, & regnauit annis quinquaginta duobus. Hic omnibus suis uiribus sumptis, armis patris sui Iouis Beli omnibus bellum intulit, nulli parcens, & Sabatium Sagam, quod esset in omnium desiderio, omni studio ad interitum quæritabat. Quare etiam toto huius tempore exul apud suos delituit. Hic omnium primus ex nostris regibus Babylonicum regnum propagauit, & omnium primus templum Belo patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ statuas in medio oppidi Babyloniæ erexit.

Anno huius Nini quarto Thuyscon Gygas Sarmatas legibus format apud Rhenum. Idipsum agit Iubal apud Celtiberos, et Samotes apud Celtas. E cũtra Camesenus Saturnus Aegyptiorum Comaros Italos nitebatur corrumpere, iuuantibus illum cõuenis & aduenis, quos ille pro Italiæ colonis conduxerat: quos ipsi uocant Montanos Aborigines. At apud Libyã lis orta est inter Rheã & Hammonem, ob stuprum admissum cum Amalthea, quærebatque Rhea ubi Dionysius esset, ut eum perderet, & diu lis ista rixaque perseuerauit. Anno Nini decimo Ianus pater ex Africa in Celtiberos Hispanos uenit, ubi duas colonias dimisit à se dictas Noëlas & Noëglas. His enim

enim etiam antea cognominibus cognominauerat uxores Iapeti & Camesenui. Nini anno XIX Ianus pater ueniens in Italiam, cum comperisset Camesenuum præter opinionem corrumpentem iuuentutem, tribus annis illum æquo animo tulit. Deinde illi aliquot colonis assignatis eum Italia excedere iubet. Ipse omnes colonias diuisit. Etenim omnes colonos Comaros corruptos, et conuenas & aduenas montana trans Ianiculũ amnem colere iubet, illisq; filiam suam Cranam Helernam, id est, suffragio ab his electam et exaltatam reginam cum sceptro dat: nanq; duos filios suos nouissimos cum illorum posteritate Cranũ & Cranam Ianus cũ Comero miserat, coaluerantq; in gentẽ atq; posteritatẽ maximã, quã nostra ætate Ianigeneã uocant: cognominant aũt Razenuam, id est, sacram propagatricem incubamq; contra impietatem Camesenui. Itaq; suam posteritatem separatam ab Aborigi nibus esse uoluit cis Ianiculum amnem in planicie atq; maritimis. Cognominauit autem eam Razenuam, ut & Cranum Razenum.

Interea cũ Italia discessisset Camesenuus, ad illũ Rhea uenit, et illi nupta ambo cõtra Hammonem cũ Titanibus pergunt, ibiq; bello cõmisso pellunt regno Hammonem, & in Cretam cogunt. Cũ in Libya Camesenuus regnat, parit ex Rhea sorore Osirim, quem cognominauit Iouẽ.

Vigesimo secundo anno Nini Ianus in Thuscia Ianiculum, quod ætate Chemesenui condidit, sedem sibi perpetuam statuit usq; Arnum, ubi colonias positas uocauit Aryn Ianas, id est â Iano exaltatas. Vetuloniæ iura dicebat, & docebat atq; regebat.

Anno Nini XLIII Sabatius cum aduerteret nullo pacto sibi licere uti regnis, creato Armenis Sages regi filio Barzane, in Sarmaticũ ponti littus concessit. Eadem tem

pestate Dionysius Hammonis filius armis sumptis Rheam & Chemesenum regno paterno pellens, et secum Osirim retinens in filiumq́; adoptans, eum à pate suo Hammonem Iouem cognominauit, uti à magistro Olympo olympicũ, eiq́; totius Aegypti regnũ tradidit. Eodem anno uirgo Pallas apud Tritonidem lacum infantula exposita, ab eodem Dionysio, Ioue Libyco etiam cognominato, adoptata in filiam fuit, quæ omnem militiam prima Libycos docuit. Eodẽ tempore Ianus pater Ianigenas Razenuos docuit physicam, astronomiam, diuinationes, ritus, & Rituales scripsit, & omnia literis mandauit: eisdẽ uero nominibus & ueneratione diuina sunt prosecuti, quibus in Armenia Saga erant usi.

Pallas Tritonia.

Anno XLIX Nini Celtiberos rexit Hiberius, filius Iubal, à quo Hiberi nominati fuerunt. Nini LI anno apud Celtas regnauit Samotis filius Magus, à quo illis oppida plurima posita sunt. Vltimo anno Barzanes in Armenia à Nino superatur.

Hiberi.

SEMIRAMIS IIII.

Quarto loco regnauit apud Babyloniam uxor Nini Ascalonita Semiramis annis XLII. Hæc antecessit militia, triumphis, diuitijs, uictorijs & imperio omnes mortales. Ipsa hanc urbem maximã ex oppido fecit, ut magis dici possit illam ædificasse quàm ampliasse. Nemo unquam huic fœminæ comparandus est uirorum, tanta in eius uita dicũtur & scribuntur cum ad uituperationem, tum maxime ad collaudationem magnifica.

Huius primo anno oritur ex Rhea & Cemesenuo in Aegypto Iuno Aegyptia, cognominata Isis maxima, frugifera, legifera, soror & uxor Osiridis.

Isis.

Eodem anno Sabatius Saga à ponto soluit in Italiam ad patrem Ianum, quem exceptum hospitio post aliquot

annos illum Coritum creauit,& Aboriginibus præfecit.

Anno VI Semiramidis apud Rheni Sarmatas regnauit filius Thuyſchonis Mannus,& apud Ianigenas Razenuos Veſta uxor Iani,ſempiternum ignem cuſtodiendũ uirginibus puellis edoctis ſacra tradidit. *Veſta.*

Anno XII Semiramidis Sabatius Saga cum Iano regnat.

Anno XVII Semiramidis Sabatius Saga docet agriculturam,& aliquantulum religionis.

Anno Semiramidis XXII Sabatius Sabũ præfecit Sabinis & Aboriginibus, ipſe iuxta Ianiculũ cum alijs Curetibus regionem coluit, & ibi obijt.

Anno XXXIIII eiuſdem apud Celtiberos regnat Iubalda, filiusq; Hiberi,apud montem ſui nominis.

ZAMEIS QVINTVS REX BABYL.

Quintus apud Babylonios regnauit Zameis Ninias filius Semiramidis,annis XXXVIII.In regno Babylonico hic parum reſplenduit, ornauit tamẽ templa deorum, & Chaldæos ampliauit.

Eius anno primo cũ Sabatius obijt, Ianus pater ſeniſſimus filium ſuum Cranum Coritũ creauit, octauoq; poſt anno obijt, expletis uitæ ſuæ annis CCCL. & Ianigenæ illum Vortumnum appellantes, templum illi & diuinos honores,ut par erat,impenderunt. *Vortumnus*

Hoc anno, Oſiris inuentis à ſe & à ſorore adoleſcentula frumẽto & frugibus,cœpit docere illa in Palæſtina. Inde reuerſus in Aegyptũ,& inuento aratro, & his quæ ad agriculturam pertinent,ſenſim uniuerſum peragrauit orbem, docens quæcunq; inuenerat: & ita uniuerſo imperauit orbi, exceptis gentibus quæ iam in Babyloniorum uenerant poteſtatem. *Agricultura*

His temporibus regnauit apud Celtas Satron, qui ut

continerent ferociã hominum tum recentum, publica literarum studia instituit, & apud Thuyscones Inghaeuon.

ARIVS VI. BABYL. REX.

Sextus Babyloniæ rex Arius regnauit annis XXX, qui adiecit imperio omnes Bactrianos. Nam paulò ante mortem Niniæ Camesenuus pulsus ab omni ferme orbe in Bactrianos sese contulerat, & illos magico præstigio sibi deuinxerat, adeò ut apud illos maximis uiribus imperaret. Coacto autem Camesenuus maximo populorum exercitu inuasit Assyrios: cõtra quẽ Ninus dimicans superior fuit, & Camesenuũ obtruncauit, inde paulò post ipse obijt. Quare Arius collecto exercitu, post patris Niniæ obitũ Bactrianos & omnes Caspios subiecit. Cranus Ianigena sororem suam mortuã cum Ianigenis Razenuis suis & omnibus simul Aboriginibus solenni pompa celebrat, & illi lucũ iuxta Ianiculum amnem, solennesq́ꝫ ritus, & diem sacrat: ipse senex filiũ suum Auranum Coritum creat.

Arij XX anno apud Celtiberos regnat Brygus, qui multa oppida suo nomini fundauit, adiectis nominibus capitum originum, quibus illa consignabat.

Apud Libyam regnauit priscus Hyarbas, uir ferox armis & militia Palladia.

Anno XXIIII Arij apud Ianigenas Razenuos regnat Aurunus filius Crani.

Anno XXIX apud Celtas Dryius peritiæ plenus.

ARALIVS VII. REX BABYL.

Septimus Assyrijs imperat Aralius annis XL. Vir iste claruit ingenio, & studio militari, & primus adauxit pompas & gẽmas, & muliebres delicias. Apud Libycã Hyarbas cũ Palladijs fœminis belligerãs, nõ fuit illis par. Quare donis occurrens se ac regnum illarũ permisit potestati.

Apud

Apud Thuyſcones regnabat Herminon, uir ferox armis, & apud Celtas Bardus, inuentione carminũ & Muſicæ apud illos inclytus.

Aralij anno X Armeni Ianigenæ Griphonij cum colonis ſuis ad Aurunum Ianigenum uenerunt, quos exceptos hoſpitio etiam ſedem cum Ianigenis Razenuis aſſignauit. Claſſe quoq; Auſon eodem tempore ab Auruno fuit exceptus, anno VIII ſequente, & ſibi ſedes in orientali Italia ab eodem conſignata fuit.

Idem Aurunus in Vetulonia lucũ ſacrauit Crano, & inter Iſos id eſt deos annumerauit. Iano quoque Vortumno templum & ſtatuam non procul urbe dedicauit, & deo Razenuo in Vetulonia ſacellum condidit.

Nouiſſimis annis Aurunus Malot Tagetem filiũ creauit Coritũ, & XXXV Aralij anno obijt, & ſucceſſit Malot Tages.

Anno penultimo Aralij claſſe uenit ad Malot Tagetem Ianigenum Razenuum Phaëton cum ſuis, qui inueniens omnia ab Auſonijs occupata ab oriente, & montana à Gallis & Aboriginibus poſſeſſa, planiciẽ uero à Razenuis Ianigenis habitatã, donatus fuit parte occidẽtali, poſſeditq; cum ſua poſteritate montes, & totum Eridanũ uſq; in regionẽ proximum, iſtis relinquens nomina locis.

Eo tempore Italia in tribus locis arſit multis diebus, circa Iſtros, Cymeos, & Veſuuios, uocatáque ſunt à Ianigenis illa loca Palenſana, id eſt regio conflagrata.

BALEVS VIII. REX BABYL.

Octauus rex Babyloniæ fuit Baleus, cognomento Xerxes, & regnauit annis XXX. Hunc appellauerunt Xerxem, id eſt uictorẽ & triũphatorẽ, quod imperauerit duplo pluribus gẽtibus, q; Aralius. Erat em̃ militia ferox,

& fortunatus, & propagauit regnum usque prope Indos.

Huius Balei Xerxis temporibus regnat apud Celtiberos Tagus, cognomento Orma; ex quo patria dicta fuit Taga: Apud Thuyscones regnat Marsus, & apud Ligures Phaëton, relicto filio Ligure regressus in Aethiopiam. Malot Tages ritus sacros à Iano traditos & Aruspicinam auxit.

ARMATRITES IX. REX BAB.

Nonus Babyloniæ rex Armatrites imperauit annis XXXVIII. Qui magis ad uoluptates & delitias conuersus, ea quæ ad libidinē spectant cū inuenit, tum maxime inuenta ampliauit. Huius ætate apud Celtas Longho regnauit, & apud Celtiberos Betus, à quo regnum habuit nomen; & apud Ianigenas Sicanus, filius Malot Tabetis, à quo cognominata fuit Vetuloniæ regio.

Betica. Sicania.

Anno XX Armatritis Ligur misit Cydnum & Eridanum cum colonis, cum fratribus & nepotibus, & occupauerunt usque Istrum in Italia.

Sicanus deificauit Aretiam, & nominauit eam lingua Ianigena Horchiam.

Arctia

Osiris in Thracia peremit gygantem Lycurgum.

Anno Armatritis XXXII apud Celtiberos tyrannidem assumpsit Deabus, qui hoc cognomentum promeruit à fodinis auri & diuitijs, quas primus ibi cepit & inuenit, opprimēs colonias. Et post duos annos apud Celtas regnauit Bardus iunior.

BELOCHVS X. REX ASSYR.

Decimus Assyriorum rex imperat Belochus annis XXXV, qui idcirco à Belo sumpsit cognomen, quia cum imperium uoluit exercere, maximum pontificium Beli Iouis, & maxime circa auspicia & diuinationes occupatus fuit. Eius annis apud Thuyscones regnauit Gambriuius,

uius, uir ferocis animi. Apud Aemathios cœpit regnare Macedon, filius Osiridis, a quo nunc nomen retinet prouincia: Atque circa hoc regnum Osiris depressit gygantes, qui iam tyrannidem ceperant. *Macedonia.*

Vigesimonono huius Belochi anno apud Celtiberos Lomnimi florebant, & ædificauerant à suo nomine urbẽ magnam Lomnimam. Anno autem sequente Itali oppressi à tyrannis gygantibus in tribus Palensanis, aduocauerũt Osirim, qui cum colonis ad Istri uicinos fontes peruenerat. Osiris tota Italia potitus, X annis illam tenuit, & à se nominauit in triumphum, & sub ditione positis gygantibus, regem Ianigenis reliquit Lestrigonem gygantem, sibi ex filio Neptuno nepotem.

Anno xxxiij Belochi, rex Lucus regnare cœpit apud Celtas. Nouissimis annis Belochi tenuit mare Atticum, & ebulliens inundauit Atticam.

BALEVS XI REX ASSY.

Vndecimus rex Babylonijs fuit Baleus annis LII. Hic post Semiramidem supra cæteros enituit fama, splenduit imperio usque intra Indiam. Libri multi de eius gestis sunt â nostris conscripti. Huius anno X Porcus Cados Sene insulam cõpleuit Vetulonicis colonis, partem relinquens posteritati Ligurum.

Huius Balei temporibus Indi sua obtulerunt Babylonijs. Osiris in Aegyptũ reuersus columnam quæ permanet inscripsit in monimentũ expeditionis suæ per totum orbem. Apud Thuyscones regnat Seuus, & apud Celtas Celte: à quo nomen habuerunt montes illorum maximi â conflagratione syluarũ, qui diuidũt Celtas & Celtiberos.

Typhon Aegyptius omnibus orbis gygantibus conscijs fratrem suum Osiridem Iouem iustum Aegyptium peremit, & ipse in Aegypto assumit tyrannidem, Busiris

in Phœnicia, in Phrygia uero alius Typhon, in Libya Anteus, in Celtiberia Lomnimi, in Italia Lestrigones, & in toto mari Milinus Cretensis.

Hercules Osiridis filius, cui nomen est Libyus, cum Iside in Aegypto sustulit Typhonem, in Phœnicia Busiridem, alium uero Typhonem in Phrygia, Milinū in Creta, Anteum in Libya, Lomnimos in Celtiberia, à qua substituto illis rege Hispalo ad tyrannos Italiæ cōuersus est. Cumq́ in Italiam per Celtas transiret, permissu parentū Galtea genuit illis Galatem regem.

In Italia decē annis debellauit & expulit Lestrigones, postq́ XX annos apud illos pacifice regnauit, multaq́ illis oppida à suo nomine, & à suo cognomine Musarna sicut Gedrosie & Carmanie fundauit: & loca aquis impedita habitationi hoīm cōmoda fecit. Anno itaq́ Balei XLI orsus in Italia pugnā contra gygantes, biennio ante illius obitum illos deleuit. Ita ab Hispalis Hercules uenit in Italiā, Lestrigones & oēs tyrannos sustulit. Arnos, Libarnos, Musarnos à se cognominatos condidit, trigintaq́ annis rexit, & accersitum Thuscum illis regem reliquit.

ALTADAS XII REX ASSY.

Altadas XII rex Babyloniįs fuit, regnans annis xxxij. Hic interposuit tempus suum deliciįs, existimans uanum esse laboribus & suæ uitæ miseria continua laborare, non quidem aliorum humanæq́ gentis utilitate ac beneficio, sed exitio ac seruitute. Idcirco suum institutum fuit, ut uita diuitiįs & gloria frueretur quoad uiueret.

Huius Altadis tempore Hercules filium Thuscum ex Araxa susceptum ex Tanaide regione euocat. Galates, à quo Samothei galli dicti, eius ætate regnauit apud Celtas, & Vandalus apud Thuyscones.

Hercules

Hercules Thuſcum filium Ianigenis creat Coritum ex more. Quo etiam illis rege relicto, ipſe ſenex admodum in Celtiberos reuertitur, anno Altadis xxxix, & regnauit ibi atq; obijt: cui Celtiberi templum ad illius Gades, et ſepulchrum, & diuinos honores tribuerũt, plurimasq; illius triumpho & nomini urbes dedicauerunt, ut Libiſoſonam, Libiſocam, Libuncam, Liboram.

Galatem puerũ ad Herculem miſſum in Siciliam cum colonis miſit Thuſcus. Idem Thuſcus primus Palladiam militiam & initiamenta Razenuos Ianigenas docuit.

MAMITVS XIII REX ASSY.

Tertiuſdecimus Babyloniæ rex Mamitus, regnauit annis xxx. Is rurſus milites exercuit, & aſſuefecit laboribus, & interpoſitis delicijs, ungentis, & opobalſamis militiam & pugnas exequebatur, cœpitq; formidini eſſe Syris & Aegyptijs. Huius anno xxij Alteus Thuſci filius regnat apud Ianigenas, & biennio ante Heſperus frater Kytim apud Celtiberos, rurſus apud Celtas Harbon, & apud Thuyſcones Theutanes.

MANCALEVS XIIII REX ASSY.

Quartuſdecimus rex Babylonijs imperauit Mancaleus, annis xxx. cuius anno primo apud Celtiberos Kytim, pulſo fratre Heſpero in Italiam, regnauit.

Duodecimo uero anno Mancalei apud Ianigenas regnat Kytim, relicto in Celtiberis rege filio Sycoro. Eiuſdem Mancalei temporibus apud Thuyſcones regnat Hercules Alemannus, apud Celtas Lugdus, à quo prouincia & homines cognomenta ſumpſerunt.

Kytim ob mentis excellentiam Ianigenæ ſua lingua uocauerunt Italum Atalaa. Hic filiam ſuam Electram Ianigenorum principi Camboblaſconi dedit coniugem, qui pro nuptijs colonias miſit tranſalpes Italiæ proximas, &

Romam filiam suam Italus primo subreginam Aborigi- nibus sacrat: filium quoq; suum Morgetem Italus Kytim creauit Coritum.

SPHERVS XV REX ASSY.

Quintusdecimus Assyrijs imperat Spherus annis xx. uir de cuius gestis & prudentia omne uulgus personat. Huius temporibus Morges filius Itali creauit Coritum suum cognatum Camboblasconem. Apud Celtiberos re gnat Sicanus filius Sicori post obitũ Spheri sub Mamelo

MAMELVS XVI REX ASSY.

Sextusdecimus rex Mamelus Babylonijs imperat an- nis xxx. cuius anno octauo Romanessus filius Romæ fit primus sub regibus montanorum Aboriginum, & Sica nus regnat apud Celtiberos.

Apud Celtas Beligius, à quo illi Beligici appellantur, regnat: & apud Ianigenas tandem à patre Iasius creatus est Coritus.

Iasius creatus est Coritus, & anno sequente simul cœ- perunt duo reges, uidelicet primus rex Atheniensiũ Ce- crops priscus, & Iasius Ianigena apud Celtas.

In Iasij nuptijs affuit Io Aegyptia. Sola enim fœmina- rum uno plus Dodone centenario uixit, & uniuersum fer me orbem lustrauit post uiri interitum.

SPARETVS XVII REX ASSY.

Decimusseptimus rex Babyloniorum fuit Sparetus, & regnauit annis xl. Sub eo cœperunt miranda in orbe: Nam terræmotus Babylonios terruit. Atheniẽses regnũ exorsi sunt anno quarto eius. Et eodẽ anno Iasius Ianige- na imperauit Italicis: et Siceleus aliquãto post Celtiberis

Sub Spareti imperio finierunt Aegyptij reges magni, Orus, Achencres, Acoris, & cœpit Chencres, qui cum Hebræis de Magia pugnauit, & ab eis submersus fuit.

Anno

Anno quoq; huius XXXIII & XXXV in Thessalia diluuium fuit, non solum ex hymbribus, sed quod obturatis mōtibus casu flumina planiciē impleuerūt, & subsecuto terræmotu, apertis ostijs montiū aquæ in alueos regressæ, & in alia eorum parte post terræmotum secutū est incendium sub quodam illorū rege Phaëtonte: & noster rex Phœnices & Syros subegit. Antea uero anno XX huius Imperij ab Italia Io in Aegyptum regreditur. Et lis prima intestina oritur pro regno inter Dardanū & Iasium. Aborigines sequebantur partes Dardani: Ianigenæ uero & Siculi cum Siceleo partes Iasij.

Bellum ciuile primum.

ASCATADES XVIII. REX.

Decimusoctauus rex præfuit Babylonijs † Ascatades annis XLI, qui funditus omnem Syriam ditionis suæ fecit, Cuius anno XIII uitis inuenta apud Græcos narrat. Sub eodem anno Dardanus Iasium dolo peremit, & fugiēs in Samothraciam diu ibi latuit.

† Ascades.

Iasio Coribanthus filius successit.

Ascatadis anno octauo Chencres, uictus Hebræorum magia, perijt in mari: cui apud Aegyptios successit Acherres, apud celtiberos Lusus, apud Celtas Allobrox, et apud Aborigines Italos Romanessus filius Romæ. Primus Saturnus consecratus mox obijt, cui sucessit filius eius Picus priscus.

Anno ultimo regis Ascatadis, Ato donauit Dardanū parte agri Mæonici, & ita regnū Troianum cœpit. Dardanus si qua iura in Italiæ regno habebat, resignauit Tyrrheno filius Atus.

Tyrrhenos adnauigans in Italiam Ianigenam à Cybele & Coribanto tanq; ex Herculeis hilari hospitio exceptus, & ciuilitate Razenua donatus est.

Ipse Tyrrhenus multa Mæonica ornamenta proferens

dedit. Coribãtus uero et Cybeles ordinata Dynastia duodecim ducum duodecim populorum, qui essent ex Ianigenis, ipsi in Phrygiam se contulerunt.

Porrò etiam sub Ascatade apud Aegyptios fuere reges Cherres & Armeus, qui cognominatus est Danaus, & Ramesses, cognomento Aegyptus. Itaque qui reges & tempora traduntur à nostris, de primoribus regnis orbis à Iani diluuio primo usque ad Dardaniæ regnum conditum, his nostris breuissimis annotationibus sint hactenus dicta. Finis.

rig. bab. an. 829.

MANETHONIS SACERDOTIS AEGYPTIJ DE REGIBUS AEGYPTIORUM LIBER.

Berosus, inter Chaldæos historicos probatior, deflorauit breuissimis annotationibus omnia Chaldaica, de potioribus regnis orbis à diluuio maximo, quod eorum maiores scribunt fuisse ante Ninum, usque ad præcipuum regnum Troiæ conditum. Nos quoque ubi ipse reliquit prosequemur ea, quæ nos ex nostris historicis uel eorum relationibus consecuti sumus, per nostros Aegyptios reges progrediendo, ut ipse egit sub Assyrijs.

Aegyptus eiecto fratre Danao regnauit annis lxviij. Ab eo Aegyptus nomen accepit. Pharaones pro dignitate dicebantur. Anno huius quinto regnauit Amyntes annis quadragintaquinque.

Aegyptus.

Anno sexto regnauit Dardanus annis LXIIII.

Decimo anno Danaus Argis annis L.

Anno

Anno XVIII huius regnauit Tyrrhenus apud Ianigenas annis LI.

Anno XXXIII in Creta regnauit Aſterius.

Anno eiuſdem XXXV apud Celtas Romus, à quo Romani: et biennio poſt apud Aborigines Faunus priſcus: apud Athenienſes Pandion. Anno L apud Aſſyrios Belochus iunior: & anno LXVII apud Aborigines imperabat Amnus Faunigena.

Secũdus poſt hunc Pharao Menophis imperat apud Aegyptios annis XL, cuius ſecundo anno apud Troianos regnat Erichthonius annis XLVI. Tarquon priſcus apud Razenuos Ianigenas, qui nunc dicuntur Tyrrheni & Thuſci ob Tyrrhenum, & peritiam diuinorum quæ à Iano didicerunt, regnat annis XXI. Apud Celtas Paris: apud Celtiberos Teſta Libyus Tryton.

Anno ſeptimo eiuſdem apud Aſſyrios regnat Belopares, & Minos regnat in Creta. Anno uero decimonono Atheniẽſibus regnat Erichtheus. Anno trigeſimoquinto eius apud Thuſcos annnis quindecim regnat Abas, à quo poſiti ſunt Abij Thuſci: & anno eiuſdem trigeſimo tertio Argis regat Abas Argus.

Anno XXX Menophis Cadmus & Phœnix à mari rubro profecti, apud Sydonem regnauerũt. Poſt ſeptenniũ Cadmus docuit rudem Græciã, & regnauit Thebis. Apud Aſſyrios regnauit Lamprides: & ultimo eius anno Zetus & Amphion expulerunt Cadmum.

Poſt Menophim cœpta eſt dynaſtia Lartũ, ut in Italia, quæ dynaſtia durauit annis ſolaribus CXCIIII. Horum Lartum in Aegypto primus fuit Zetus, qui regnauit annis LV, cuius anno octauo in Dardania regnauit Tros: in Thuſcia uero anno huius XXXIII regnauit annis XXXVIII Veibenus ex familia Vetuloniæ.

Primo quoq; anno Zeti regnauit apud Celtas Lemannus, & XXXII anno apud Aborigines Mars Italus, cognomento Ianus iunior. Anno eiusdē XXXV apud Celtiberos Romus regnauit.

Secundus Lartes Aegyptius fuit Ranses annis LXVI.

Anno eius XXIIII Assyrijs imperat Pannias. Eiusdē anno XXVIII Atheniensibus regnat Egeus. Cadmus Harmoniam sororem Iasij Samothracis duxit uxorē. Olbius regnat apud Celtas. Anno LX Cadmus ex zelotypia primæ uxoris ob Harmoniam discrimen certamenq; patitur.

Eiusdem anno XXIII Cœculus cognomento Saturnus iunior regnat apud Aborigines; & tertio anno post apud Tyrrhenos regnat Oscus, cuius insigne fuit serpēs. Hic ex Vetulonia multas colonias seminauit, apud quā erat oriundus magna familia.

Anno eius XIII Ilus regnauit apud Troianos LII annis; & Palatuus apud Celtiberos; apud Celtas Galatas iunior, qui uicit Sarmatas, & condidit Galatas Asiæ.

Anno eiusdem XLVII Picus iunior fit rex Aboriginibus; & apud Thuscos regnat Tarcon secundus annis XLIIII Post Picum.

Anno penult. Ranisis apud Celtas regnauit Nannes.

Tertius Lartes Aegyptius Amenophis annis XL regnat & imperat, cuius anno primo Laomedon imperauit Troiæ.

Anno uero tertio Sosarmus regnat Assyrijs, & Hercules Amphitrionis nascitur anno VI, uixitq; annis LII, & perijt igne primus ex maximis piratis.

Anno Amenophis XIIII apud Aborigines regnat Faunus iunior, & XXIX anno Thuscis imperat Tiberinus ex familia Veia Vetuloniæ annis XXXV.

Quartus

Quartus Aegyptijs imperauit Ammenephos annis XXVII, cuius anno IIII apud Celtas regnat Remus, à quo Remi. Anno nono eius apud Assyrios regnauit Tautanes, & anno decimosexto apud Aborigines Latinus, apud Thuscos autem regnat Mezentius.

Secutus est ultimus Lartes septem annis, post quem secuta est Dynastia sine Larte annis centum septuaginta septem, per quã numerabimus qui Babylonij, Aegyptij, & Tyrrheni floruerunt. Anno Dynastiæ Diapolitanorum primo Troia euersa fuit, & anno tertio Aeneas uenit ad Italiam ad Latinum, & Euandrũ & Tyrrhenos, apud quos regnauit Tarcon iunior annis XX.

Anno septimo Ascanius Latinis imperat: Anno uero sequente Teuteus Assyrijs, & post Francus Celtis ex Hectoris filijs, & anno eodem Lydi mare obtinuerunt.

Anno quadragesimosecundo Amazones templum Dianæ Ephesi succenderunt, & anno quadragesimoseptimo Ocnus imperauit Italiæ annis XLVI, uixit annis XCVI & XLIX. Syluius Latinis, & Tyneus Assyrijs.

Anno XLV Dynastiæ regnauit Latinis Aeneas Syluius, et Assyrijs Dercilus annos XLVII. At LXXII Thuscis imperat Pypinus annis quinquagintaduobus.

Anno VIII regnat Latinis Syluius Latinus: et CXXI Eupales Assyrijs. Anno CLVIII Alba Latinis regnat, & CXXVIII Nycius Fesulanus Thuscis annis XLVII. Anno CLXVI Piseus Thuscus pirata impat Italiæ annis quinquagintaduobus. Ita paulatim Assyrij, Aegyptij, Tyrrheni delicijs eneruati decrescunt, ècontra Latini crescunt. Itaq; subijciemus breuiloquium, quo pacto reges Assyriorum Aegyptiorum cœperunt eneruari, èontra Græcorũ & Latinorum Aboriginum. Apud enim Thuscos Piseo successit Thuscus iunior annis XXXIX. huic

Amnus annis XXV, quem ſecutus eſt Felſinus annis triginta tribus. Hinc Bon annis uigintiocto, Atrius uiginti ſeptem, Marſias decem & octo, Etalus triginta, Celius uiginti & uno. Ex Latinis autē ſecuti ſunt per quos propagati Romani imperium tenent.

METASTHENES PERSA DE IUDICIO temporum & Annalium Perſicorū.

QVI de temporibus ſcribere parāt, neceſſe eſt illos nō ſolo auditu & opinione chronographiam ſcribere, ne cum per opiniones ſcribunt, uti Græci, cum ipſis pariter et ſe & alios decipiant, & per omnem uiam aberrent. Verum abſq; ullo errore fiet, ſi ſolos annales duarum monarchiarum aſſecuti, cæteros omnes ut fabulatores reiecerimus. In his enim tam liquide atq; uere digeſta ſunt tempora, reges, & nomina, quâm apud eos ſplendidiſſime regnatum eſt. Neq; tamen omnes recipiendi ſunt qui de his regibus ſcribunt, ſed ſolum Sacerdotes illius regni, penes quos eſt publica & probata fides annalium ſuorum, qualis eſt Beroſus. Nā is Chaldæus omne tempus Aſſyriorum digeſſit ex antiquorum annalibus, quem ſolum, uel maxime unum Perſæ nunc ſequimur.

Is ergo tradit ante Ninum ducentis & quadragintanouem annis regnatum fuiſſe ſub tribus dijs regibus, quorū qui primus uniuerſo imperauit orbi fuit Ogyges: qui præfuit inundationi terrarum. Inde Saturnus fundata Babylonia regnauit annis ſex & quinquaginta. Belus Iupiter eius filius duobus & ſexaginta. Ninus eius filius, qui primus

mus monarchiam cepit, annis quinquaginta duobus. Semiramis quadragintaduobus. Zameis annis trigintaocto. Arius triginta. Aralius quadraginta. Xerxes Baleus triginta. Armatrites trigintaocto. Belochus priscus quinque & triginta. Baleus iunior duo & quinquaginta. Altadas duo & triginta. Mamitus triginta. Mancaleus triginta. Spherus uiginti. Mamelus triginta. Sparetus quadraginta. Ascatades quadraginta. Amyntes quinque & quadraginta. Belochus iunior quinque & uiginti. Bellepares triginta. Lamprides trigintaduo. Sosares uiginti. Lampares triginta. Pannias quinque & quadraginta. Sosarmus decem & nouem. Mytreus uigintiseptem. Tautanius trigintaduo. Teuteus quadraginta. Tyneus triginta. Dercylus quadraginta. Eupales trigintaocto. Laosthenes quadragintaquinque. † Pyrithidias triginta. Ophrateus uiginti. Ophraganeus quinquaginta. Ascrazapes quadraginta & duo. Tonosconcoleros XV, hunc Græci Sardanapalum uocant. Hucusque Berosus. Nos autem illum imitati, nullo alio autore usi sumus, quàm publica Susiana bibliotheca, in qua annales Persarum ferunt fecisse Belochum tertium Sardanapali clandestinum hostem, qui eius militiæ præfectus erat. † Piriciades.

Is cum Arbace tum Medorum principe partitus est monarchiam, ea lege ut Belochus Babyloniam, Arbaces Mediam atque Persas regeret. Itaque interfecto & seipso flammis iniecto Sardanapalo, Monarchia bipartita fuit. Apud Medos hi regnauerunt annis quatuor & trecentis. Arbaces uigintiocto. Mandanes quinquaginta, Sosarmon XXX. Arti Carmin quinquaginta. Arbianes duo & XX. Arceus XL. Artines uigintiduo. Astybarus cum Apanda filio uiginti. Apanda solus triginta. Hoc Cyrus & Darius deuicto regnauerunt annis

trigintasex: Nam ante reünitam monarchiam regnauerunt in Perside annis sex. Inde alijs sex Persico regno resignato Cambysi filio, sexennale bellum Tamyri reginæ Scytharum intulerunt. Sexto anno à Babylonijs euocati atq; Balth Assare interfecto reünitam monarchiam in Persas transtulerunt.

Totidem annis in bipartita monarchia regnatum est apud Babylonios. Primus Phul Belochus annis XLVIII. Phul Assar XXV. Salman Assar decem & septem. Sennacherib septem. Assar Adon decem. Merodach duo & quinquaginta. Ben Merodach uiginti uno. Nabugdonosor primus trigintaquinque. Nabugdonosor Magnus quinq; et quadraginta. Amilinus Euilmerodach triginta. Filius huius primus Reg Assar tribus, Secundus Lab Assar Dach sex. Tertius Balt Assar quinq;. Balt Assare interfecto regnauerunt simul Cyrus & Darius annis duobus, inde solus Cyrus duobus & uiginti. Filius Darij Priscus Artaxerxes Assuerus annis uiginti: Vltione interea sumpta de factione Tamarica, quæ per dolum patruum tradiderat Tamyræ. Huius duo filij, Cyrus Artabanes, & Darius Longimanus septem mensibus pro imperio dimicarunt, & septimo mense Longimano uictoria cessit, regnauitq; annis septem & triginta. Eius filius Darius Nothos annis decem et nouem. Magnus Artaxerxes Darius Meneon annis quinquaginta quinq;. Artaxerxes Ochus sex & uiginti. Nostra ætate Arses annis quatuor. Darius ultimus sex. Magnus Alexander qui transtulit imperium in Græcos annis duodecim. Seleucus Nicanor, qui nunc agit trigesimum annum, successit toti Asiæ ac Syriæ.

Metasthenes quo tempore uixerit.

Finis.

XENOPHON DE EQVIVOCIS.

SAturni dicuntur familiarum nobilium, regũ, qui urbes condiderunt, senissimi. Primogeniti eorum Ioues & Iunones: Hercules uero nepotes eorum fortissimi. Patres Saturnorũ Cœli: uxores Rheæ & Cœlorum Vestæ. Quot ergo Saturni, tot Cœli, Vestæ, Rheæ, Iunones, Ioues, Hercules. Idem quoque qui unis populis est Hercules, alteris est Iupiter. Nam Ninus qui Chaldæis extitit Hercules, fuit Assyrijs Iupiter, quibus oppidulum paternum tetrapolim & caput imperij statuit. Vnde ipsum Ninum, id est Iouẽ cognominauerũt, qui proprio nomine Assyrius dicebatur, à quo Assyrij dicti, & à cognomine urbs Ninus dicta. *Saturni. Ioues. Iunones. Hercules. Cœli. Rheæ. Vestæ. Aßyrij.*

PHORONAEVS.

Phoronæi plures, sed in precio habiti duo. Antiquissimus claruit primo anno Nini in parte Hellinica, quæ post Græcia dicebatur. Iunior secundus rex Argiuorum filius Inachi, inter quem & priscum fuere decem ætates & amplius. *Phoronæi.*

TEMPORVM AEQVIVOCA.

Aetas apud diuersos diuersa metitur spatia: quia apud Aegyptios spatio triginta annorum perficitur: & apud Græcos quartam centenarij partem, id est annos quinque & uiginti continet. Annus etiã diuersus est. Etenim ipsi Aegyptij utuntur anno quandoque menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri, sæpe quatrimestri, nonnunquam solari: quæ uarietas etiam ex nostris qui ab eis literas habuerunt sapientes coëgit aberrare. Hiberis annus quatrime- *Aetas. Annus.*

ſtris ut plurimum eſt, rariſſime ſolaris. Econtra Chaldæi cum in antiquitate diſciplinarũ ſuarum utantur mẽſtruo, in cæteris ſemper ſolarem ſe intelligere fatentur. Et hoc pacto ſemper quoq; Semiramis in columna Nino ita ex- cidit: Mihi pater Iuppiter Belus, auus Saturnus Babylo- nicus, proauus Saturnus Aethiops, Abauus Saturnus Aegyptius, Attauus Cœlus Phœnix Ogyges. Ab Ogy- ge ad meum auum ſol orbem ſuũ circunluſtrauit ſemel ac tríties & centies. Ab auo ad patrẽ ſexies & quinquagies, A patre ad me bis & ſexagies. Columnam, templum, ſta tuam Ioui Belo ſocero, & matri Rheæ in hoc Olympo Semiramis dicaui.

auus, proauus, abauus, Attauus,

OLYMPI.

Olympi unde. Olympus plura ſignificat: Nam omnis mons regio- nis altior Olympus à Græcis dicitur. Vnde & plures O- lympi dicti, quaſi toti lympidi. A Barbaris uero omne ſpatium circulare ultimum lymbus dictus eſt, & cum in teriori area Olympus, à quo aſtrolabium Olympus, & ſacrum pomerium Olympus eſt.

Homeri. Homeri plures fuere; quorum qui eximius poëtarũ extitit, ultimus omniũ, poſtq; Thalem Mileſium inueniť.

Nini. Nini plures fuere. Primus omnium Aſſyrius, quem ab ampliato oppido patris uocauerũt Ninum, id eſt Io- uem, lingua Aſſyrica. Huius filius Zameis etiã Ninus paterno cognomine appellatus fuit.

Ogyges. Ogyges plures fuere. Primus ſupradictus attauus Ni- ni, quem Babylonij Gallũ cognominant, quod in inunda tione etiam ſuperſtes alios eripuerit & genuerit. Hinc Sa gæ, apud quos nauigio ſaluatus eſt & ereptus; ratem uo- *Galleris.* cant Gallerim, quod undis ſaluet. Verum Græca lingua Gallus candidum & lacteũ ſignificat; Phryga, excctũ te- ſtibus; Latina; gallinæ maritũ; & Celtas qui ſunt Galatæ

ueteres,

ueteres, à rege Galanthæ filio Herculis, à quibus Galatæ in Asia, & Gallogræci in Europa. Fuit autem priscus Ogyges in prima inundatione terrarum. Alter uero Atticus in tertia.

INVNDATIONES.

Inundationes plures fuere, prima nouimestris inundatio terrarum sub prisco Ogyge: Secunda Niliaca menstrua sub Aegyptijs Hercule ac Prometheo. Bimestris aũt sub Ogyge Attico in Achaia. Trimestris Tessalica sub Deucalione. Par pharonica sub Protheo Aegyptio in raptu Helenæ. Ab inundatione terrarum ad ortum Deucalionis secundo anno Spheri septingenti supputantur anni: qui natus annos duos & octoginta Thessaliam, ubi primum in Hellina regnauit Phoroneus, uidit inundatam.

PROTHEI.

Prothei fuerunt plures. Primus Saga in Caspijs. Alter Aegyptius, sub quo diluuium Pharonicum. Erat eñ sacerdos Prothei magni Phœnicis, cui consensu totius orbis templa, statuæ, & aræ dicatæ sunt in Europa, Asia, & Aegypto.

CADMI.

Cadmi fuere plures. Primus frater Phœnicis paulò post conditionem Troiæ, qui ambo apud Sydona regnauerunt. A Phœnice quidem tota regio nomen accepit, quæ est à Sydone ad Iamineum portum Ascalonis urbis Semiramidis, uicinum monti tetrapolis atque gymnasij ueteris Phœnicum, cum omnis ante Assyria diceretur. Paulò post fuit alius Cadmus Argiuus, qui post exiliũ à Phœnicia reuersus in Bœotias Thebas cõdidit. Tertiũ, qui in eadẽ urbe tyrannidẽ assumpserat, propulsauerũt Linus & Zetus. Quartus cũ Sparthis bellũ gessit.

Quintus paulo ante ruinas Troiæ Harmonia Samothraca inclytus, qui à prisca uxore ob Harmoniam certamen passus, rediens à Phœnicia detulit in Græciã primus sexdecim numero literas rudes non Phœnicas, sed Galatarũ & Mæonũ persimiles characteribus. Residuas retulerũt paulo post Palamedes & Simonides medicus. Fuit & ultimus qui scribere docuit oratione soluta, cum ante literas aduectas, atque post uernaculo solum carmine uterentur. Finis.

Q. FABIVS PICTORIS DE AVREO seculo, & de origine urbis Romæ eiusq; de scriptione. Liber primus.

ITaliæ imperium penes duos populos principes extitit. Posterius Romani, principio Thusci sub Iano cœperunt in aureo seculo. Aurea ætas primo ortu generis humani fuit sic dicta, quod posterioribus seculis comparata æque atq; aurum inter metalla effluxit. Eam cœpisse sub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis & quinquaginta Xenophon atque maiores prodiderunt. Is Ianus sub initium aurei seculi læuum latus Tiberis Hetruriæ tenuit. Cameses uero ac Saturnus circa finem eiusdẽ ætatis dextrum incoluerunt. Ea ætate nulla erat monarchia, quia mortalium pectoribus nondũ hæserat ulla regnandi cupiditas. Principes quia iusti erant, & religionibus dediti, iure habiti dij & dicti. Non enim arbitria illorum ab æquo, uel populus à iure innato discedebant. Nullo tunc uindice aut metu, sed sua sponte retinebant *Aurea secula.*

fidem

fidem & rectum. Pudor ipse regebat populos, & ius principes. Domus illis non extructæ uel ornatæ luxuriaq́ insignes erant & splendidæ, sed uel criptæ, aut uiminum tuguria, & caua arborum ligna erant. Victũ sponte nascentia præbebant, aut in diem uictus quærebatur uenatu. Vinum & far primus illos docuit Ianus ad sacrificia & religionem magis quàm ad esum & potũ. Primus enim aras, & pomeria, & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farq́ illi ac uinum primo prælibatur. Vxor illi fuit Vesta, quæ prima sacrorum regina sempiternum sacrificiorum ignem uirginibus credidit. Bella tunc non ignota modò, sed ne cogitata in mentem uenerant. Ad pudorem & sanctimoniam domorum primus ualuas, seras, & claues excogitauit & inuenit, & ab eo dictæ Ianuæ. Olympo regio Hetruriæ fanoq́ sacrato, duodenis colonijs totidem pomeria arasq́ sacrauit, & ad continendum recentes tum colonias in officio aureo, uirgas fascesq́ singulis singulas dedit. Vnde ipse in manu uirgam & clauem, subq́ pedibus bis senas aras habet. Circa finem aurei seculi primus omnium Ninus rex Assyriorum hos aureos mores noua regnãdi cupiditate mutauit: & primus limites transgressus, bella finitimis mouit, & totius Asiæ populos perdomuit. Sub quo Cameses præfectus fuit Aboriginibus. Et paulopost fremẽtibus undiq́ contra se armis, toto prius pererrato orbe Saturnus ad Ianum se contulit. Eum comi hospitio Ianus receptum, Latio & Aboriginibus præfecit. Eo more, quamuis tunc finientis aurei seculi, intra fines suos sese quisq́ continuit, Ianus in Hetruria, & Saturnus in Latio, Tiberimq́ fines imperij esse instituit. Intra enim suam cuiq́ patriã tunc de more regnũ finiebatur. Limes igitur erat inter eos Tiberis, aræ uero limitum erant Ianiculum & Saturnia Capi-

Ianus.

Ianuæ unde dicta.

pitolina. Hetruriam à Ianiculo Ianus, Latium à Saturno Saturnus cognominauit. Ad radices enim Capitolij Saturnus condiderat, uti Ianus Ianiculum. Hæc igitur fuit prima Romæ origo ad radices Capitolij, ubi tunc pascua bobus erat.

Facies tunc agri huius instar arcus erat, cuius chorda esset alueus Tiberis: cornua ad solis quidem ortum, rupes Auentina, & ad occasum capitolina, media palatina. Eadem palatina rupes Tiberim à fronte prospicit, à sinistris Cœlio, à dextris Exquilino iungitur. Auentinus item à fronte Tiberim & Capenam tenet, ad dexteram Cœliolo ac Viminali hæret. Capitolium ante se Tiberim & portam Carmentalē cernit: hæret illi Quirinalis. Has rupes antiqui septem colles, & septem montes appellauerunt. Area huius arcus est quicquid campi iacet inter Auentinum & Capitolium, & à palatio ad Tiberim, Lybissus antea, inde Argeus, post uicus Thuscus dictus. Paludes plures eò passim Tiberina inundatio efficiebat, quæ hanc aream nō satis idoneam habitationi reddebant, antequam factis Vertumno sacrificijs in alueum suum Tiberis uerteretur. Prima igitur origo Romæ fuit collis Capitolinus, antea Saturnia dictus. Sequēs hunc Auentinus fuit, habitatus ab Atlante Italo, è Sicilia aduecto eò contra fratrem suum Hesperū, in cuius tutela erat Hetruriæ imperiū adhuc Iano puero, & immaturo ad munera regia & regni. Porrò Italus dimicare à Iano & Hetruscis prohibitus, in Auentino consedit, ad cuius radices iuxta Tiberim ope atque consilio Iani Capenam oppidulum cōdidit, & regionem eius permissu Italiam dixit. Mox Hespero fratre rebus humanis exempto, Italus in tutelam Ianum & Hetruriam suscipiens, omnem circa Tiberim regionē, extinctis ultro citroque alijs cognominibus, à se Italiam nuncupauit.

Hæc

Hæc est prisca Italia: cuius nomen sensim ab Alpium ra=
dicibus ad fretum Siculum, ac ipsi Siciliæ cõmunicatum
est. Denominare enim, aut imponere gentibus & locis
noua nomina tantum regum ducumq; ius est. Suscepto Noua i(m)ponere nomina
igitur Italus Italiæ imperio, tum filiam suam Romam no regionibus principum
mine Siculis et Aboriginibus in Latio præfecit: quæ reli
cta Capena mediũ palatinum tenuit, & in uertice, ubi hæ
ret Exquilion, Romam oppidulũ condidit, quod Valen
tiam sonat. Post eius obitum ob paludes neglectum oppi
dum fuit usq; ad aduentum Euandri, qui cum oppido si=
mul restituit nomen. Subsidens septem collibus campus
Argeus dictus est, ab Argo Euandri hospite, & comiti=
bus Argiui Herculis, qui ad Euandrũ uenerunt, & in Sa
turnia subsederunt. Hinc extrema Argileta dicuntur. Su Argiletum.
perior Argiletus dicitur in principio uici Thusci sub Cœ
liolo, inter Circum maximũ et Auentinũ, ubi letum Argi
simul & sepulchrum est. Imus uero Argiletus est ubi Ia=
nus quadrifrons, qui & Vertũnus, in fine uici Thusci ad
radices Capitolij in foro boario, ubi Saturniæ uestigia.
Tres igitur colles primum coluere ante Romulum: me=
dium quidem Roma filia Itali, extremos uero Saturnus
& Italus.

Q. FABII PICTORIS LIB. II.

DENIQVE Romulus potitus rerum Alba
narum, & usus maxima familiaritate regum
Hetruriæ, & rex primus ex regulis Italiæ
creatus in Latio, Romam oppidulum in re
giam tetrapolim uertit, inq; Palatino colle
fundauit. Ascito enim ex Hetruria uate atque sacerdote,

Olympum fecit, pomeriumq́ꝫ sacrauit, & aratro ab Olympo in uico Thusco per palatium circũducens, ab imo collis ad uerticem quadratam urbem signauit. In uertice collis hærente Exquilino Romam oppidulum ampliauit, & è regione loco proximo Cœlio Velliam extruxit. Cæterum in decliuo ad ima uersus Circum maximum Germaliã fundauit, ubi iussu Amulij fuerunt expositi. Hac enim antea labebatur Tiberis. Ab ea aũt uersus Exquilias forũ Romanum ædificauit. Et ita Romulus ex regulo primus rex à Thuscis declaratus est. Quam rem per occasionem acceptam Mithridates rex Asiæ pro ignominia Romanis opposuit, quod uernæ fuissent Thuscorum. Quarto autem mense ab urbe condita, perpetratum est audax facinus in raptu Latinarũ & Sabinarũ. Primi ex Latinis bellum mouerunt in Romulum Ceninenses, Antennates & Crustumini. Romulus auxilio implorato à Thuscis, cum Cœlio rege Hetruriæ primum ex his triumphum retulit. Et ob id quartus urbis collis à Thuscis habitari cœptus est, & Cœlius dictus. Subinde Sabini bellũ ingens orsi, coëgerũt Romulum denuo à Lucumonibus socios milites expetere. Galerito Lucumoni Arbeæ negocium datũ est, magna Hetruscorũ exq́ꝫ urbe Salpinatũ manu uenit. Qui cum offendisset Capitolium captum à Sabinis, ipse proximũ Capitolio Quirinalem pro Romulo muniuit. Verum cum Romulus audax sub Capitoliũ Sabinos aggressus uulneratus fugeret, illumq́ꝫ ad portam Palatinam secuti Sabini Romæ potituri uiderentur, illico Galeritus è Quirinali delapsus, uiamq́ꝫ retro in Capitolium pedem ferendi adimens, ubi nunc Ianus quadrifrons, à tergo Sabinos aggressus, unde fabula eiaculatæ aquæ sulphureæ est, in fugã uertit. Animaduersa re, Romulus reintegratis uiribus & ipse à fronte cedebat, adeò ut Metius

Vernæ Thuscorum Romani.

Cœlius mons.

Lucumones.

Bellum Romuli cum sabinis hetruscis adiuuantibus

in pa

in paludem ſeſe cum equo armatus inijceret. Cædes ingens fiebat, & ne unus quidem euaſiſſet, ni fœminæ occurriſſent. fœdere icto Romulus urbis agrũ diuiſit in partes tris, æquis collibus, Sabinis & Tacio Capitolium & Quirinalis: Romulo ſequẽtes, Exquilinus & Palatinus, in quo Roma; Galerito & Luceribus Thuſcis Cœlius & Cœliolus obuenerunt. Auentinum Romulus neminem paſſus eſt habitare. Nam fratri Remo illum ſacrum eſſe uoluit uſq; Helernam. Cumq; conceſſiſſet naturæ Cœlius, & Galeritus rex Hetruriæ ſucceſſiſſet, conſenſu tribuum Cœliolus, & ab eo tota arcus area ſeptem collibus ſubiacens Thuſcis data, & ſacrificio Iano Vertumno facto, egeſtiſq; paludibus habitabilis reddita, & uicus Thuſcus dicta. Tribus igitur gentibus conflata principio urbs Roma habitataq; fuit, nomĩa impoſuit princeps Thuſcus. Nam hi tunc Italiæ imminebant imperio. Tacienſes à Tacio, Ramnẽſes à Romulo uocauit. Hoc eñ nomine illum ab euentu nuncupauit lingua Hetruſca ex Hetruria oriunda Larentia, & nupta prius uiro Thuſco Fauſtulo, & inde Hetruſco Carrutio. Suam uero tribũ à ſe Lucerũ dixit. Nam alia Trometina eſt, à loco Cœlij.

Roma in partes tris diuiſa in Luceres: Tacienſes, et Ramnenſes

Auentinus Remo ſacer.

Thuſcus uicus.

Hæc origo urbis Romæ ſolum ueteris ſepticollis, cũ arcus area habitatæ, nunc uero ab his collibus in alios colles & conualles in immenſum prolatæ. Cæterum nomina eiuſdem ueteris Romæ hæc ſunt. Nomina colliũ: Capitolium, Quirinalis, Exquilinus, Palatinus, Cœlius, Cœliolus, Rumurius, qui & Auentinus. Porrò in area hæc nomina ſunt: Libyſſus, Circus maximus, Forum tranſitorium, Argiletus ſuperior, Argiletus imus, Via ſacra, Senaculũ, Concordia, Grecoſtaſis, Aedes Saturni, Vertumnus, qui & Ianus quadrifrons, Forum boarium, Vicus longus, Vicus Arnienſis, Vicus Stellatinus, Saba-

nomina colliũ Rom

tinus, Lartenianus, qui & Veiens, Phaliſcus, quorum co gnomina à Thuſcis ſunt commigrantibus in ciuitatẽ Ro manam. Item Herculis ara, ubi Olympus, & initium ſa cri ærarij iunctim à Germalia ad ſacrã uiam, unde & no minis origo. Forum piſcarium, Porta Carmentalis, Ae des Pudicitiæ, Rotunda Herculis, Forum uenalium, La cus Curtius, Suburra, Suburbanum, Saturnia, ubi nunc ædes eius atq; ærarium: Hæc ubi Roma uetus. In parte Romæ ſunt Hetruriæ loca, Antipolis, Ianiculũ, Vatica num, & Tiberis, limes imperij, Volturreni inter ueteres Ianum & Saturnũ, qui à principe illius urbe Volturrena per ſyncopam dictus eſt Volturnus, & ob id Thuſcus nõ Latinus. Quod uero Vulturnũ ſine ſyncopa & compoſi tione primitiuum eſt nomen, notat fluuiũ in Sãnio, & op pidũ Romanũ in littore, à quo Vulturnus deus Tiberi nus in Latio, ſicut & Volturnus ut caput imperij in He truria. Quam ob rem deum Tiberinũ ſuum dicit eſſe Ro ma atq; Hetruria, eundem & Ianum Vertumnum, & ab his dictum Vadymona.

C. SEMPRONIVS DE DIVISIONE Italiæ, & Origine urbis Romæ.

VNiuerſa Italia à iugis Alpium oritur, & in Leucopetram fretumq; Siculum termina tur. Cingitur ſupero & infero mari, & ſeca tur Apennino, qui à iugis Alpiũ ortus, per mediam Italiam à Liguribus ad Anconam porrectus, inde paulatim uſq; Venuſiam reflexus, ibi ex tranſuerſo diuidit Italiam, ex altera parte Brunduſiũ, alte

ra Ve

ra Veliam attingens, circum sinum Tarentinum, quem Ausones primũ, inde Aborigines Græci post Oenotriũ Arcadem tenuere: à quibus Magna græcia nũcupatur, in qua sunt Oenotrij, Calabres, Salẽtini, Magna græcia, atq; Brutij. Porrò antiquitus Italia in medium Apenninum, & in cisapenninũ ad inferum mare, & in transapenninum ad superũ pelagus, & in alpes à Rhetijs ad Ligures diuidebatur.

Diuisio alpium.

Alpes ipsæ tribus partitionibus secantur: prima Ligurum, quod ab eis oriantur. A Nicæa ad Pœninũ sequens, ab eo ad Ocram montẽ. Pœninus dictus à transitu Hannibalis. Tertia Taurisana usq; in Histriã. Omnibus alpinis, exceptis Liguribus, notissima origo Hetrusca est, præcipue Rhetijs. poeninus unde.

De Apennino.

Apenninus diuidit in Ligures montanos, Apuanos, Vmbros, Sabinos, Sabellos, Hetruscos. Ligures dicti sũt à Ligure Phaëtontis filio, qui omniũ primus multis seculis ante Græcos ex Attica colonias in Italiã trãsportauit, adiecitq; atq; miscuit antiquissimis Italiæ populis, ab ostijs Tiberinis usq; Nicæam. Hinc ueteres omnem maritimam dixerũt Liguriã. Itaq; pars Apennini à Nicæa ad fontes Macræ Ligures montanos alit, quibus origo est à Genio & Ligure. A fontibus uero Macræ ad fontes Tiberis Apenninũ colunt Ligures Apuani, Hetruscis orti, cognomines ueteribus Gallis, ut M. Antonius prodit. Portionem uero Apennini à fontibus Tiberis ad Narin habitant Vmbri, prima ueterum Gallorũ proles, ut Augustus scribit. Ab amne uero Nare usque ad fontes Silaris montes tenent Sabini, quibus Saga est origo. Nam Sangni gentilis Sabi fuit. Hi paulo ante ruinas

Liguria.

M. Antonius.

Troiæ diſciplinas Hetruſcas didicere, & ius diuinũ & humanum à Megale Thyrrheno perceperunt. Rurſum à fontibus Silaris ad fontes Volturreni & Sarni Sabelli, proles Sabinorũ, incolũt, quos Romani Samnites, Græci uero Saunites uocant. Portionẽ uero Apennini à fontibus Sarni uſq; ad magnam Græciam Thuſci tenuerũt, & reſiduam Græci. Hactenus de diuiſione Apennini & Alpium; & origine habitantium in eo.

De diuiſione planæ Italiæ.

Ciſapenninã Italiam flumina diuidũt, & itidem tranſapenninam. Padus amnis Galliam ciſalpinam primo diſcreuit. Ciſpadanam omnem miſſis colonijs tenuere Thuſci. Doria Thuſcorum prima familia incoluit principio ab Aſca colonia uſq; Parmã, à qua et fluuius Doria, & regio prius Doria, nunc Aemilia. A Parma item ad Bononiã Bianora à duce, nũc Aurelia. Flaminia item à Bononia ad Rubiconẽ amnem, antea Felſina à principe Hetruriæ, miſſis colonijs Lamonibus à Rubicone ad Anconam. Senonum Gallia Togata dicitur, ab his qui duce Arunte primi in Italiam tranſcenderunt Alpes, à quibus ſenſim pulſi Hetruſci à ciſpadana & tranſpadana regione, quæ nunc Galliæ nomen habet. Et quidem omnem tranſpadanam regionem Thuſcorum prolem fuiſſe inter omnes autores cõuenit, manentq; ueſtigia urbs Mantua, Lacus Hetruſca origine dictus Larius, quod à patricijs Volturrenis omnia ea loca principio poſſeſſa fuerint uſq; Veronam. Hinc circa Larium lacum à principibus dicta uallis Volturrena, & Verona à Vera Thuſcorum familia, & ab Atria eorundẽ colonia fluuius Veronæ argumenta ſeruanti. Nam uſq; Atrianũ fluuiũ, qui limes eſt Volturrenorum & Venetiarum, tenuere Hetruſci, & Venetias principio quidem Phaëtontei, poſtea Troiani

eiſdem

eiſdem mixti coluerunt. Hæc de tranſapennina Italia, & Apennino monte inter autores conueniunt.

De Tranſalpina Italia.

Tranſapennina uero ad inferũ mare ueteres ita partiti ſunt per amnes. A Nicæa enim ad Macram tenent Ligures montani, origine Phaëtontei. A Macra item ad Arnũ & portum Ligurnum incolunt Hetruſci, cognomine Ligures Apuani. Quos ſequuntur Ligures Hetruſci Populonij, à Ligurno portu ad caput Hetruriæ. A quo ad Tiberim ſunt Hetruſci Ligures Tyrrheni, in quibus ſunt campi compluti lapidum, clari pugna Herculis, adhuc Lamones dicti ab ipſius Herculis filio Lamone. Pari forma ab ultima Italia in Tiberim Romamq́ percurrendo, à Velia ad Silarim fluuium Lucani, à Samnitum duce Lucio orti, tenent. Ab eo ad Sarnum amnem Picentini habitant. A Sarno uero ad Volturnũ fluuium incoluerũt Cumani, quos ab agro nullis uiribus Hetruſci, quamuis toti Italiæ imperitarent, potuerunt dimouere, aut in poteſtatem redigere. A Volturno amne ad Silarim Hetruſcorum uetuſtiſſimus ager fuit, in quo prius Oſcam dictam, poſtea Capuam condiderunt. A Lyri autem uſq; Tiberim Saturnus cum priſcis Aboriginibus fuit, origine ab Vmbris & Cameſenis editis, ubi eſt mons Capitolinus, aureo ſeculo à Saturno habitatus, ubi & nunc aurea Roma terrarum caput. Quam ob rem parum conſiderate quidam ſcribunt, Romam poſtremis ac nouis ſeculis à Romulo conditam, & appellatam atq; cœptam, cum nullum ex his tribus uerum apud maiores inueniatur memoratum, ſed ſint ab eis contraria prodita. Non enim Roma à Romulo nomen habet, quippe quia geminis non Remus & Romulus nomina poſuit Fauſtulus Hetruſcus et regius paſtor, ſed Rumulum & Rumen illos ab euentu

Capua.

Nomina propria Romuli et Remi

Cur nō liceret urbi nomen sciri nomen ment

appellauit, quæ sunt nomina Hetrusca. Alioquin Romæ nomen, & nominis origo uulgata esset atq; manifesta, quæ occulta esse saluberrima religio sanxit, ne si origo nominis Romæ clarescceret, eius deus in cuius tutela Roma est, & à quo deriuationem habet, gentibus pateret, et euocaretur ut cæteri. Quam ob rem & Angerona silentij dea ante Iani festos dies colitur præ foribus, ut ne cui liceat illud palàm efferre, quod ad salutē reipublicæ ueteres ore obsignato intra pectoris arcana uoluerunt cōtineri: cuius uiolatæ religionis pœnas primus luit Soranus. Non igitur à Romulo Roma, sed ècontra ab ipsa potius Roma, cuius adeò est occulta deriuatio, Romulus nomen habuit, quæ ante ipsum Romulum cœpta legitur coli annis paulominus octingentis ab Italo in Auentina Capena, et filia eius Roma in Palatino colle, & ante hos plusquam trecentis annis aureo seculo à Saturno, ubi nunc Saturni ædes ad radices Capitolini collis. At Romulus solum ex oppidulo Roma in Palatino colle quadratam & regiam reddidit, cuius quatuor portiones erant, Roma, Velia, Germalia, ubi ficus Ruminalis, & ædes Rumuli, à dei occulta deriuatione postmodum Romuli. Condidit aūt eam accitis amicis uatibus Hetruscis, qui fossa, ubi caput Centauri est, pomerioq; ad prudentis uatis auspiciū sacratis, circum Palatinum collem sacro aratro cingi iussit XI calendas Maias, horam inter secundam & tertiam, Sole in Tauro, Luna in Libra, Saturno Venere Marte Mercurio in Scorpione, & Ioue in Piscibus, ut tradit Lucius † Carrutius mathematicorum peritissimus. Sunt qui tradant illam conditam xij. Olympiade. Placet alijs octaua. Septima quibusdam. Sexta completa nonnullis. Præualet omnibus his Eratosthenis inuicta regula, ut aiunt. Sed cum Pomponius Atticus coram senatu atq; doctissimis

Euocationes deorum.

Val. Soranus.

Quot annis ante Romulū Roma culta sit.

Plutarch. Cermonū uocat in uita Rom.

Qua āni parte Roma sit cōdita.

† Taruntius aliàs.

Pomponius Atticus.

mis uiris conferret Græcorum certissima tempora, compertum est quod ab Aenea, & Troia excisa, per tempora regum Latinorum usque ad Romulum regem iam creatum fluxerunt anni circiter triginta et quadringenti. Quare haud dubie condita est Roma Olympiade septima, aut eius anno secundo. Condita autem fuit primum in monte Palatino. Inde Sabinis & Thuscis in fœdera coëuntibus, incoluerunt Sabini quidem Capitolium & Quirinalem, in quo Numa postea habitauit: Romulus & Ramnenses Exquilinum, Palatinum, & Cœlium: Thusci Luceres Viminalem, & subsidentem conuallem usque ad ædem Saturni, & radices Capitolij. Remo fratri Auentinus ætate Romuli mansit. Hæc sunt † ueræ tam priscæ Italiæ quàm urbis Romæ antiquitates & origines, quibus quoniã plures Græci postremis temporibus in Italiam cõmigrantes commixti fuerunt, ob id à se principio emanasse Italiam falso existimauit græca tum leuitas tum fabulositas. Quis enim ex antiquissimis non scribit à Iano Ianiculum, & Hetruscos ueteres Gallos conditos? Et tamen plures Græcorum tradunt à Tyrrheno Lydo, qui fuit nuper, positos. Quinetiam & Tyrrhenam Thuscorum regiam non puduit eos Romam asserere: Tanta uidelicet imprudentia cum morum iactantia est, ut omnium gentium & imperiorum atque urbium præclarissimarũ se conditores esse apertis sæpe mendacijs conscribant.

Roma quando condita

† fere.

FINIS.

SEXTI IVLII FRONTINI VIRI CONSVLARIS DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE,

LIBER PRIMVS.

CVM omnis res ab Imperatore delegata intentiorem exigat curam, & me ſeu naturalis ſolicitudo, ſeu fides ſedula non ad diligentiam modò, uerum ad amorem quoq; commiſſæ inſtigent, ſitq; mihi nunc ab Nerua Auguſto, neſcio diligentiore an amantiore Reipub. Imperatore, aquarum iniunctum officiũ, tum ad uſum, tum ad ſalubritatem, atq; etiam ad ſecuritatem urbis pertinẽs, adminiſtratum per principes ſemper ciuitatis noſtræ uiros, primum ac potiſſimum exiſtimo, ſicut in cæteris negocijs inſtitueram, noſſe quod ſuſcepi. Neque enim ullum omnis actus certius fundamẽtum crediderim, quàm quæ facienda quæq; uitanda ſint poſſe decernere. Nam quid uiro tam indecorum & intolerabile, quàm delegatum officiũ ex adiutorũ agere præceptis? Quod fieri neceſſe eſt, quoties imperitia præceſſit eius cui decernitur uſus, quorum etſi neceſſariæ partes ſunt, tamen ad miniſterium ut manus quædam & inſtrumẽtum agentis eſſe debent. Quapropter ea quæ ad uniuerſam rem pertinentia contrahere potui, more iam per multa mihi officia ſeruato, in ordinem & uelut in corpus deducta in hũc Commentariũ contuli, quẽ pro formula adminiſtratiõis reſpicere poſſem. In alijs autem libris, quos poſt experimẽta

& uſum

& usum composui, antecedentium res acta est, in hoc uero & insequentium, cuius fortasse pertinebit & ad successorem utilitas. Sed cum inter initia administrationis meæ scriptus sit, in primis ad meam institutionem regulamq; proficiet. Ac ne quid ad totius rei pertinens notitiam prætermisisse uidear, nomina primum aquarũ, quæ in urbem Romam influunt, ponam, tum per quos quæq; earum, & quibus Consulibus, & quoto post urbem conditam anno perductæ sint. Deinde quib⁹ ex locis & à quoto miliario duci cœpissent, quantũ subterraneo riuo, quantum substructione, quantum opere arcuato, postea altitudinem cuiusq;, modulorumq; rationem, & ab illis erogationes, quantum extra urbem, quantũ intra, quisq; modus, cuiq; regioni pro suo modulo unaquæq; aquarũ seruiat, quot castella publica priuataq; sint, & ex his quantum publicis operibus, quantum muneribus: ita enim cultiores appellantur, quantum lacubus, quantum nomine Cæsaris, quantum priuatorũ usui beneficio principis detur, quod ius tuendarum sit earum, qua cõtumaces afficiant pœna, ex lege senatusconsultis, & mandatis principũ irrogata.

AB urbe condita per annos cccclxi. contenti fuerũt Romani usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. Fontiũ memoria cum sanctitate adhuc extat, & colitur. Salubritatẽ enim ægris corporibus afferre creduntur, sicut C. Amaranus Apollinaris meminit. Nunc autem in urbem influunt aquæ Appia, Anio uetus, Martia, Tepula, Iulia, Virgo, Alsietina, quæ eadẽ uocatur Augusta, Claudia, Anio nouus.

Appia, M. Valerio Maximo, P. Decio Murena COSS. anno XX post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio Crasso Cẽsore, cui postea Cæco fuit cognomen, qui & uiam Appiam à porta Capena usq; ad urbem

Capuam muniendam curauit. Collegam habuit C. Fabium, cui ob inquisitas eius aquæ uenas Venocis cognomen datum est. Sed is quia intra annũ & sex menses deceptus à collega tanquam idem facturo, abdicauit se à censura. Nomẽ aquæ ad Appij tantum honorẽ pertinuit, qui multis tergiuersationibus extraxisse censurã traditur, donec & uiam & huius aquæductum consummaret. Concipitur Appia in agro Lucullano uia Prænestina, inter miliariũ vi. & viij. diuerticulo sinistrorsus passuũ dcclxxx. Ductus eius habet longitudinẽ à capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminã, passuũ undecimmilium cẽtum nonaginta: subterraneo riuo passuum undecimmillium centũ triginta: substructione & supra terram opere arcuato proxime ad portam Capenam passuũ lx. Iungitur ei ad Anionem ueterẽ in confinio hortorũ Torquatinorum Alsietinæ Augustæ ramus ab miliario * in supplementum eius addito cognomento decem gemellorum. Hic uia Prænestina ad miliarium sextum diuerticulo sinistrorsus passuũ dcccclxxx. Proxime uiam Collatiam accipit fontem, cuius ductus usque ad gemellos efficit riuo subterraneo passuũ vi. milia ccclxxx. Incipit distribui Vetus anio uico Publicij ad portã Trigeminã, qui locus Salinæ appellatur, post annos xl. quàm Appia perducta est, anno ab urbe condita cccclxxxix. M. Curius Dẽtatus, qui censurã cum L. Papyrio cursore gessit, Anionis, qui nũc dicitur uetus, aquã perducendã in Vrbem ex manubijs de Pyrrho captis curauit, Spurio Garbilio L. Papyrio COSS. Item post bienniũ deinde actũ est in Senatu de cõsummando eius aquæ opere. Itaque post annum nonũ Minutius Prætor edidit edictũ: Tum ex senatuscõsulto Duumuiri aquæ perducẽdæ creati, Curius & Fuluius Flaccus locauerant. Curius intra quintum diem quàm

Fabius Venox.

Anio uetus.

Salinæ.

quę erat Duumuir creatus decessit, gloria perductæ pertinuit ad Fuluiū. Cōcipitur Anio uetus supra Tibur xx. miliario extra portam Raranam, ubi partim in Tiburtinum distribuitur usum. Ductus eius habet longitudinē, ita exigente libramento, passuum xlij. milium; ex eo riuus est subterraneus passuum xliij. milium ccxcvij. Substructio supra terram passuum dccij. Vigesimoprimo anno post annos cxxvij. id est anno ab urbe cōdita dcviij. Seruio Sulpitio Galba & L. Aurelio Cotta COSS. cum Appiæ Anionis'que ductus uetustate quassati priuatorū etiam fraudibus interciperentur, datum est à Senatu negocium M. Titio, qui tum Prætor inter ciues & peregrinos ius dicebat, eorum ductuum reficiendorum & uindicandorum. Et quoniam incrementum Vrbis exigere uidebatur ampliorem modum aquæ, eidem mandatum à Senatu est, ut curaret quatenus alias aquas posset in urbem perduceret, & ampliores ductus faceret. Reipubl. causa tertio miliario opera fabrorum duxit, cui ab autore Martiæ nomē est. Legimus apud Fenestellam in hæc opera Marco decretum sestertium IIII & octingenta, sed quoniam ad consummandum negocium non sufficiebat, statuit Senatus Præturam in alterū annum prorogari. Eodē tempore Decemuiri dum alijs ex causis libros Sibyllinos inspiciunt, inuenisse dicuntur nō esse aquam Martiam sed Anienem, de hoc enim constantius traditur, in Capitolium perducendam, deq; ea re in Senatu à Lepido pro collega uerba faciente, actum Appio Claudio, Q. Cecilio COSS. eandemq; post annum tertium à L. Lentulo retractatam, C. Lælio, Quint. Seruilio COSS. sed utroque tempore uicisse gratiā Marci Titij, atque ita esse in Capitolium aquam perductā. Concipitur Martia uia Valeria ad miliarium XXXIII. *Martia aqua.*

diuerticulo euntibus ab urbe Roma dextrorſus miliũ paſſuũ trium uilla Sublacenſi, atq; ſub Nerone principe primum ſtrata ad miliarium trigeſimumoctauũ ſiniſtrorſus intra ſpacium paſſuum ducentorum finita ſubſtructionibus penè ſtatim ſtagnino colore præuiridi. Ductus eius habet longitudinem à capite ad urbem paſſuum LX millium DCCX & ſemis. Riuo ſubterraneo paſſuum LIIII milium CCLXVII ſemis, Opere ſupra terram paſſuũ vij milium ccccxliij. Eo longius ab urbe pluribus locis priuatis & publicis & D uallis opere arcuato paſſuũ ccccIxiij. Propius urbem à ſeptimo miliario ſubſtructione paſſuũ clxxxviij. Reliquo opere arcuato paſſuum vi. milium

Tepula aqua. ccccIxx. Cn. Seruilius Cepio & L. Caſſius Lõginus, q̃ Rauilla appellatus eſt, Cẽſores, anno poſt urbem conditã dcxxvij. M. Plautio Hipſapone, Ful. Flacco Cõſulibus, aquam quæ uocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidam Tuſculanum credunt, Romam & in Capitolium adducendam curauerũt. Tepula concipitur uia Latina ad XI miliarium diuerticulo euntibus ab Roma dextrorſus milium paſſuum duum, inde riuo ſuo in urbem perducebatur, Iuliæ poſt mixta: Nam Agrippa ædilis poſt primum conſulatum Imperatore Cæſare Auguſto, M. Lelio Volcatio COSS. anno poſt urbem conditam dccxix. ad miliariũ ab urbe xij. uia Latina euntibus ab Roma dextrorſus milium paſſuũ xij, alteriusq; proprias uires collegit, & Tepulæ riuũ intercepit, acquiſitæq; ab inuẽtore nomen Iuliæ eſt datũ, ita tamẽ diuiſa erogatione, ut maneret Tepulæ appellatio. Ductus Iuliæ efficit lõgitudinẽ paſ-

Iulia aqua. ſuum xv. milium ccccxxvi. Opere ſupra terram paſſuum vij milium; ex eo in proximis urbis locis à vij. miliario ſubſtructione paſſuum dxxviij. Reliquo opere arcuato paſſuum vi. milium ccccIxxij. Præter caput Iuliæ transfluit aqua

fluit aqua quæ uocatur Crabra. Hanc Agrippa emisit, seu quia usum improbauerat, seu quia Tusculanis possessoribus relinquendam credebat. Ea nanq; est quam omnes uillæ tractus eius per uicem indies modulosq; certos dispensatam accipiunt, sed non eadem moderatiõe. Aquarij nostri partem maximam eius semper in supplementum Iuliæ uindicauerunt, nec ut Iuliam augerent, quam hauriebant largiendo compendij sui gratia. Exclusa ergo est Crabra, & tota iussu Imperatoris reddita Tusculanis, qui nunc forsitan non sine admiratione eam sumunt, ignari cuius causa insolitam abundantiam habeant. Iulia autem, reuocatis deriuationibus per quas subripiebatur, modum suum quamuis notabili siccitate seruauit. Eodem anno Agrippa ductus Appiæ, Anienis, Martiæ penè delapsos restituit, & singulari cura cum compluribus salientibus aquis instruxit urbem. Idem cum iam tertium consul fuisset, C. Sentio, Sp. Lucretio COSS. post annum xiij. quàm Iuliam deduxerat, Virginem in agro quoq; Lucullano collectam Romam perduxit. Dies, quo primum in urbem responderit, v. iduum Iunij inuenitur. Virgo appellata, quod quærentibus aquam militibus, puella uirguncula quasdam uenas monstrauit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum inuenerunt. Aedicula fonti apposita, hanc uirginem pictura ostendit. Concipitur ergo uia Collatia ad miliarium octauũ palustribus locis, Signino circuniecto cõtinendarum scaturiginum causa. Adiuuatus ex cõpluribus alijs acquisitionibus, uenit per longitudinem passuum xiiij. milium cv. ex eo riuo subterraneo passuum undecimmilium dccclxv. supra terram per passus Mccxl: ex eo substructione riuorum locis compluribus passuum dxl: opere arcuato passuum dcc. acquisitionum ductus riui subterranei efficiunt passus

Crabra.

Virgo aqua.

Alsietina insalubris.

Mccccv. Quæ ratio mouerit Augustũ prouidentissimũ principẽ producendi Alsietinã aquam, quæ uocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imò & parũ salubrem, & nusquam in usus populi fluentẽ, nisi fortè cum opus Naumachiæ aggrederet̃, ne quid salubriorib9 aquis detraheret, hanc ꝓprio opere perduxit: et q̃d Naumachiæ cœperat superesse, hortis subiacentibus & priuatorũ usibus ad irrigandũ cõcessit. Solet tamen ex ea in transtyberina regiõe, quoties pontes reficiunt̃, & à citeriore ripa aquæ cessant, ex necessitate in subsidiũ publicorũ salientiũ dari. Concipitur ex lacu Alsietino uia Claudia miliario xiiij. diuerticulo dextrorsus passuũ vi. miliũ D. Ductus eius efficit longitudinem passuũ uigintiduummilium septuagintaduorũ: opere arcuato passuũ cclviij. Idem Augustus in supplementum Martiæ, quoties siccitates agerent, auxilio aliã aquã eiusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Martiæ riuũ, quæ ab inuentore appellat̃ Augusta. Nascitur ultra fontem Martiæ, cuius ductus donec Martiæ accedat efficit passus dccc. Post hos C. Cæsar, qui Tiberio successit, cum parũ & publicis usibus, & priuatis uoluptatibus vij. ductus aquarũ sufficere uiderent̃, altero imperij sui anno M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate COSS. anno urbis conditæ dccxc. duos ductus inchoauit, q̃d opus Claudius magnificentissime consummauit, dedicauitque Sulla & Tutiano COSS. anno post urbem conditam dccc. Sexto Calendarum Augustarum. Alteri nomen, quod ex fontibus Cærulo et Curtio perducebatur, Claudiæ datum, hæc bonitate proxima Martiæ: Altera, quoniam duæ Anienis aquæ in urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio nouus uocari cœpit, et q̃d illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei ueteris est adiectũ. Claudia cõcipitur

Augusta aqua.

Claudia aqua.

uia

uia Sublacensi ad miliarium xxxviij. diuerticulo sinistror sus intra passus ccc. ex fontibus duobus amplissimis & speciosis, Cæruloq́ꝫ, qui à similitudine appellatus est, & Curtio accipit, & eum fontem qui uocat̃ Albudinus, tantæ bonitatis, ut Martiæ quoq́ꝫ adiutorio quoties opus est ita sufficiat, ut adiectione sui nihil ex qualitate eius mutet. Augustæ fons, quia Martiam sibi sufficere apparebat, in Claudiã deriuatus est, manente nihilominus præsidiariò in Martiam, ut ita demũ Claudiam aquam adiuuaret Augusta, si eam ductus Martiæ non caperet. Claudiæ ductus habet longitudinem passuum xlvi. milium. Ex eo riuo subterraneo passuum xxxvi. miliũ ccxxx: opere supra terram passuum x. milium lxxxi: ex eo opere arcuato in superiori parte pluribus locis passuũ trium milium et lxxvi. et prope urbem à vij. miliario substructione riuorum per passus dcix: opere arcuato passuum vi. milium ccccxci. Anio nouus Sublacensi uia ad miliarium lxij. in suo riuo excipitur ex flumine, quod cum terras cultas circum se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluuiarum iniuria limosum & turbulentum fluit, ideoq́ꝫ à faucibus ductus interposita est piscina limaria, ubi inter amnem & specũ consisteret & liquaretur aqua. Sic quoq́ꝫ quoties hymbres superueniunt, turbida peruenit in urbem. Iungitur ei riuus Herculaneus, oriens eadẽ uia ad miliarium xliij. è regione fontium Claudiæ trans flumen uiamq́ꝫ natura purissimus, sed mixtus gratiam splendoris sui amittit. Ductus Anienis noui efficit pass. lviij. milia DCC: ex eo riuo subterraneo passus xlix. milia ccc: opere supra terram passus ix. milia cccc: & ex eo substructionibus aut opere arcuato superiori parte pluribus locis passus xij. milia dccc: & propius urbem à xij. miliario substructione riuorum passus dcix:

Anio nouus.

Herculaneus riuus.

opere arcuato passus vi. millia ccccxci. Hi sunt arcus altis simi subleuati in quibusdam locis cix. ped. Tot aquarum tam multis necessarijs molibus, pyramidas uidelicet ocio sas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata Græ corum opera? Non alienum mihi uisum est longitudines quoq; riuorum cuiusq; ductus & per species operũ com plecti. Nam cum maxima huius officij pars in tutela eo rum sit, scire præpositum oportet quæ maiora impendia exigant. Nostræ quidem solicitudini non suffecit singula oculis subiecisse, sed formas quoq; ductuũ facere curaui mus, ex quibus apparet ubi ualles quantæq;, ubi flumina traijceren tur, ubi montiũ lateribus specus appliciti, quan toq; maiorẽ assiduamq; perterendi ac muniendi hi exigãt curã. Hinc illa cõtingit utilitas, ut rem statim ueluti in con spectu habere possimus, & deliberare tanquã assistentes. Aquæ omnes diuersa in urbem libra proueniunt. Inde fit, ut quædam altioribus locis seruiant, & quædam ire eniti in eminentiora non possint: nam & colles si sint pro pter frequentiam incendiorum ruderibus excreuerunt.

Altitudines ductuum.

Quinq; enim sunt ductuum altitudines, quarũ duæ in o mnem partem urbis attolluntur, sed ex reliquis aliæ maio re, aliæ leuiore pressura coguntur. Altissimus Anio est nouus, proxima Claudia, tertium locum tenet Iulia, quar tum Tepula, dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ li bram æquat. Sed ueteres humiliore directura perduxe runt, siue nondum subtili explorata arte librandi, seu quia ex industria infra terram aquas mergebant, ne facile ab ho stibus interciperentur, cum frequentia adhuc contra Itali cos bella gererentur. Iam tamen quibusdam locis, sicubi ductus uetustate dilapsus est, omisso circuitu subterraneo uallis tractus, breuitatis causa substructionibus, arcuatio nibusq; traijciuntur. Sextum tenet libræ locum Anio ue

tus,

tus, similiter suffecturus et altioribus locis urbis sicubi ual liũ submissarumq́ regionum cõditio exigit, substructionibus arcuationibusq́ ueteres exigent. Sequitur huius libram Virgo, deinde Appia, quæ cũ ex urbano agro perducerentur, non in tantum altitudinis erigi potuerunt. Omnibus humilior Alsietina est, quæ transtyberinæ regioni, & maxime subiacẽtibus locis seruit. Ex his uia Latina, sex intra vij. miliarium contentis piscinis excipiuntur, ubi quasi respirante riuorum cursu limum deponunt. Modus quoq; earũ mensuris ibidem positis initur. Vna autem Iulia Martia quoq;, quæ Tepula intercepta, sicut supra demonstrauimus, riuo Iuliæ accesserat, nunc à piscina eiusdem Iuliæ modũ accipit, ac proprio canali & nomine uenit, & à piscinis in eosdem arcus recipiunt. Summus ijs est Iuliæ, inferior Tepulæ, deinde Martiæ, quæ ad libram collis Viminalis coniungitur. Intra * euntes ad Viminalẽ usq; portam deueniunt, ubi rursus emergunt. Prius tamen pars Iuliæ ad spem ueterem excepta, castellis cclij. montis usibus diffunditur. Martia autem parte sui post hortos Pallantianos in riuum, qui uocatur Herculaneus, deijcit se per Cœlium. Ductus ipsius montis usibus, nihil ut inferior subministrans, initur supra portam Capenam. Anio nouus cum Claudia à piscinis in altiores arcus recipiuntur, ita ut superior sit Anio. Finiuntur arcus eorum post hortos Pallantianos, inde in usum urbis fistulis deducuntur: partem tamẽ sui Claudia prius in arcus, qui uocãtur Neroniani, ad spem ueterem transfert. Ii directi per Cœlium montem iuxta templum Diui Claudij terminantur. Modum quem acceperunt aut circa ipsum montem Cœliuma, aut in palatium Auentinumq́, & in transtyberinam regionem dimittunt. Anio uetus citra quartum miliarium intra no * uiæ

Arcus Neroniani.

qua à Latina in Labicanam itur, arcus traijcit, & ipse pisci nam habet. Inde intra secundum miliarium partem dat in specum, qui uocatur Octauianus, & peruenit in regionem uiæ nouæ ad hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuit. Rectus uero ductus secundũ spem ueterem ueniẽs, intra portã Exquilinã in altos riuos per urbẽ deducitur, nec Virgo nec Appia nec Alsietina conceptelas, id est piscinas habent. Arcus Virginis initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in campo Martio secundum frontem septorum. Riuus Appiæ sub Cœlio monte & Auentino actus emergit, ut diximus, infra cliuum Publicij Alsi, & inde eductus est in Naumachiam, nam eius causa uidetur factus.

Octauianus specus.

QVoniam autores cuiusq; aquæ & ætates, præterea ordines & longitudines riuorum, & ordinem libræ persecutus sum, non alienũ mihi uidetur etiam singula subijcere, & ostendere quanta sit copia, quæ publicis priuatisq; non solum usibus & auxilijs, uerumetiam uoluptatibus sufficit, & per quot castella, quibusq; regionibus deducatur, quantum extra urbem, quantum intra urbem, & ex eo quantũ lacubus, quantũ muneribus, quantum operibus publicis, quantum nomine Cæsaris, quantum priuatis usibus erogetur. Sed rationis existimo, priusquam nomina quinariarũ centenariarumq; & cæterorum modulorum, per quos mensura constituta est, proferamus, indicare quæ sit eorũ origo, quæ uires, & quid quæq; appellatio significet, præpositaq; regula, ad quam ratio eorum & initium computatur, ostendere qua ratione discrepantia inuenerim, & quam emendandi uiam sim secutus. Aquarum moduli aut ad digitorũ, aut ad unciarum mensurã instituti sunt: Digiti in Campania & in plerisq; Italiæ locis, Vncia in pupula: ita hæc obseruantur.

Est

Eſt autem digitus, ut conuenit, ſextadecima pars pedis: uncia duodecima. Quemadmodũ autẽ inter unciã & digitum diuerſitas, ita & ipſius digiti ſimplex obſeruatio non eſt, nam alius uocatur quadratus, alius rotundus. Quadratus tribus quartiſdecimis ſuis rotundo maior: Rotundus tribus undecimis ſuis quadrato minor eſt: ſcilicet quia anguli deteruntur, poſtea modulus nec ab uncia nec ab alterutro digitorũ originem accipiẽs inductus, ut quidã putant, ab Agrippa, ut alij à plumbarijs per Vitruuiũ architectum in uſum urbis excluſis prioribus uenit appellatus quinario nomine. Qui aũt Agrippam autorem faciũt, dicũt quod quinqꝫ antiqui moduli exiles & ueluti puncta, quibus olim aqua cum exigua eſſet diuidebatur, in unam fiſtulã coacti ſunt. Qui Vitruuium & plumbarios, ab eo quod plumbea lamina plana quinqꝫ digitorũ latitudinem habẽs, circumacta in rotundũ hunc fiſtulæ modulum efficiat. Sed hoc incertũ eſt, quoniã cum circumagitur, ſicut interiore parte attrahit, ita per illam quæ foras ſpectat extenditur. Maxime probabile eſt quinariã dictam à diametro quinqꝫ quadratũ, quæ ratio in ſequentibus quoqꝫ modulis uſque ad uicenariam durat, diametro per ſingulos adiectione ſingulorum quadrantum creſcente, ut in ſenaria quæ ſex ſcilicet quadrãtes in diametro habet, & ſeptenaria quæ ſeptem, & deinceps ſimili incremento uſque ad uicenariam. Omnis autem modulus colligitur aut à diametro, aut perimetro, aut ex recto menſuræ, ex quibus & capacitas apparet. Differentiam unciæ, digiti quadrati, & digiti rotundi, & ipſius quinariæ, ut & facilius dignoſcamus, utendum eſt ſubſtantiæ quinariæ, qui modus & certiſſimus & maxime receptus eſt. Vnciæ ergo modulus habet diametri digitum unum & trientem digiti, capit pluſqꝫ quinariæ octaua hoc eſt ſeſcuntia,

quinariæ & scrupulis tribus & besse scrupuli. Digitus quadratus in rotundũ redactus, habet diametri digitum unũ, & digiti sescuntiam sextulã, capit quinariæ dextantem. Digitus rotũdus habet diametri digitũ unum, capit quinariæ septuncem, semunciã sextulam. Cæterũ moduli quia quinaria oriuntur, duobus generibus incrementũ accipiunt, & unà cum ipsa multiplicatur, id est, eodem lumine plures quinariæ includuntur. In quibus secundum adiectionẽ quinariarũ amplitudo luminis crescit. Est autem ferè nunc in usum, cum plures quinariæ impetratæ fuerint, ne in uijs sæpius cõuulneretur una fistula, ut excipiantur in castellum, ex quo singuli suum modũ recipiunt. Alterum genus est, quoties nõ ad quinariã necessitatem fistula incrementum capit, sed ad diametri sui mensuram, secundum quod & nomẽ accipit, & capacitatem ampliat, utputa quinariã. Cũ adiectus est ei ad diametrũ quadrans, senarium facit, nec iam in solidũ capacitatem ampliat. Capit enim quinariam unam, quincuncem sicilicum, & deinceps eadem ratione quadrantibus diametro adiectis, ut supradictum est crescunt, septenaria, octonaria, usq; ad uicenariam. Subsequitur illa ratio quæ cõstat ex numero digitorum quadratorum, qui area, id est lumine cuiusq; moduli continetur, à quibus & nomen fistulæ accipiunt: nam quæ habet areæ, id est luminis in rotundum coacti digitos quadratos xxv. uicenumquinũ appellatur. Similiter tricenaria, & deinceps per incrementum digitorũ usq; ad centenumuicenũ. In uicenaria fistula, quæ in cõfinio utriusq; rationis posita est, utriusq; rationi penè congruit. Nam habet secundum eam computationem, quæ interiacentibus modulis seruãda est in diametro, quadrantes xx. cum diametri eiusdem digiti quinque sint, & secundum eorum modulorum rationem

qui

qui ſequuntur ad eam habet digitorū quadratorū ex gno moniјs xx. Ratio fiſtularum quinariarū uſq; ad centenum uicenum per omnes modulos ita ſe habet, ut oſtendimus, & in omni genere inita conſtat ſibi. Conuenit & cum his modulis qui in commentariјs inuictiſſimi & piјſſimi Principis poſiti et cōfirmati ſunt. Siue itaq; ratio, ſiue autoritas ſequenda eſt, utriq; commentariorum moduli præualent: ſed aquariј cum manifeſtæ rationi pluribus cōſentiant, in quatuor modulis nominauerūt duodenaria, & uicenaria, & centenaria, et centenumuicenū. Duodenariæ quidem, quod nec magnus error nec uſus frequens eſt diametro, adiecerunt digiti ſemunciam, ſicilicum capacitati quinariæ & beſſem. Reliquis autem tribus modulis plus deprehenditur. Vicenariā exiguiorē faciunt diametro digiti ſemiſſe, capacitate quinariјs tribus & ſemuncia, quo modulo plerunque erogatur. Centenaria autem & centenum uicenum quibus aſſidue accipiunt, non minuuntur, ſed augentur, nec uſu frequens eſt, diametro adiecerunt trientis beſſem & ſemunciā. Capacitati quinarias x. ſemiſſem ſemunciam ſicilicum. Centeno uiceno diametro adiјciūt digitos tres ſeptuncem ſemunciam, capacitati quinarias lxvi. ſextantem. Ita dum aut uicenariæ, quas ſubinde erogant, detrahunt, aut centenariæ & centenūuicenum adiјciunt, quibus ſemper accipiunt, intercipiuntur in centenaria quinariæ xxviј. in centumuicenum quinariæ. lxxxvi. uncia: quod cum ratione approbetur, re quoq; ipſa manifeſtum eſt. Nam pro uicenaria, quam Cæſar pro quinariјs ſexdecem aſſignat, non plus erogant quàm tredecim, & ex centenaia quam ampliauerūt æque certum eſt illos non erogare niſi ad arctiorem numerum, quem Cæſar ſecundum ſuos commentarios cum ex quaq; centenaria explevit, quinarias octoginta unam ſe .Item ex cente

numuicenum quinarias xcviij. tanquam exhausto modulo desinit distribuere. In summa moduli sunt xxv. omnes consentiunt, & rationi, & commentarijs, exceptis ijs quatuor, quos aquarij nominauerunt. Omnia autem quæ mensura continentur certa & immobilia congruere sibi debent: ita enim uniuersitatis ratio constabit, & quẽadmodũ, uerbi gratia, sextarijs ratio ad cyathos, modij uero & ad sextarios & ad cyathos respondent, ita & quinariarũ multiplicatio in amplioribꝰ modulis seruare sequentiæ suæ regulã debet, alioqui cum in erogatorio modulo minus inuenitur, in acceptorio, plus apparet non errorem esse, sed fraudem. Meminerimus omnem aquam quoties ex erogatorio uenit, intra breue spacium in castellum cadit, non tantum respondere modulo suo, sed etiam exuperare. Quoties uero ex humiliore, id est, ex minore pressura longius ducatur, segnitiã ductus modũ quoq; deperdere: ideo secundum hanc rationem, aut onerandã esse erogationẽ aut reuelandã. Sed & calicis oppositio habet monumentũ & in rectum, & ad libram collocatus si modum seruat, & ad cursum aquæ si oppositus deuexatusq; amplius rapit, ad latus autem prætereuntis aquæ conuersus et supinus, nec ad haustũ pronus, segniter exiguumq; sumit. Est autem calix modulus æneus, qui riuo uel castello induit, huic fistulæ applicatur, longitudo eius habere debet digitos non minus xij. lumen, id est capacitatem quanta imperata fuerit. Excogitatus uidetur, quoniã rigor æris difficilior ad flexum non temere potest laxari uel coarctari. Formula modulorũ, qui sunt omnes xxv. subiecti quamuis in usu xv. tantũ frequentes sint directa est ad rationem, de qua locuti sumus, emendatis quatuor, quos aquarij nominauerãt. Secundũ quam fistulæ omnes opus facientes dirigi debent, aut si hæ fistulæ manebũt ad quinarias

Calix.

Quinarias quot capitur cōputari. Qui non sunt in usu moduli in ipsis est adnotatū, et diametri trientem digitū dico quàm quinariæ sexcuntia, & scrupulis tribus, & besse scrupuli. Digitus quadratus in longitudine & latitudine æqualis est. Digitus quadratus in rotundum redactus habet diametri digitum unum, & digiti sexcuntiam sextulam, capit quinariæ dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum unum. Capit quinariæ septuncem semunciam sextulam, fistula quinaria diametri digitū unum digitos tres. 3 zz1111. Capit quinariā unam. Fistula senaria diametri digitum unum, semis perimetri digitos quatuor 82v31 111, capit quinarias ix. 1373. Fistula septenaria diametri digitum unum 18 :– perimetri digitos sex capit quinarias ·:· l. In usu nō est fistula octo diametri digitos duos, perimetri digitos sex capit, quinarias ij. quinq;. Fistula denaria demetri digitos duos & semis perimetri digitos septem 3. liiij. capit quinarias quatuor. Fistula duodenaria diametri digitos sex capit quinarias quinq;, in usu nō est, unde est alia. apud aquarios habebat diametri digitos 111153v. Capacitatis quinarias sex. Fistula quinumdenum diametri digitos quatuor. z. perimetri digitos xij zl. alia capit quinarias nouem. Fistula uicenaria diametri digitos octo. 3 11 capit quinarias sexdecim. apud aquarios habebat diametri digitos octo. Capacitatis quinas. Fistula uicenumquinum diametri digitos decem & septem capit quinarias uiginti.

In usu non est fistula tridenaria diametri vi. perimetri digitos decem & nouem capit quinarias uiginti quatuor zz 3. quinq; fistula triceniij quinum diametri digitos sex. 3111. perimetri digitos capit quinarias uiginti, in usu non est fistula quadragenaria diametri digitos septem

perimetri digitos xxij. capit quinarias xxxij. Fistula quadragenumquinum diametri digitos xij. & viij. perimetri digitos xxxiiij. capit quinarias xxxvi. octo in usu non est. Fistula quinquagenaria diametri digitos septem. quinque. perimetri digitos xxxi. iiij. capit quinarias xl. iiij. Fistula quinquagenum quinum, diametri digitos viij. x. perimetri digitos xxvi. capit quinarias xliiij. ix. in usu non est. Fistula sexagenaria diametri digitos xxix capit quinarias xlix. vi. Fistula sexagenum quinum quinaria diametri digitos ix. 2lij. perimetri xxviij. 3. capit quinarias lij. octo in usu non est Fistula septuagenaria diametri digitos ix. zz3. sex perimetri xxix. capit quinarias lij. 3. sex. Fistula septuagenum quinum diametri digitos xi. vi. perimetri digitos. xxx. capit quinarias xli. in usu non est. Fistula octogenaria diametri digitos decem xij. perimetri digitos xxxij. capit quinarias lxij. Fistula octogenum diametri digitos x. perimetri digitos xxx. in usu non est. Fistula nonagenaria diametri digitos x. x. perimetri digitos xxxiij. capit quinarias lxxiij. iiij. Fistula nonagenum quinum diametri digitos x S. perimetri digitos iiij. & capit quinarias lxxyiij. in usu non est. Fistula centenaria diametri digitos xi. ix. perimetri digitos xxxij. capit quinarias lxxxi. apud aquarios habebat diametri digitos xij. capacitatis quinarias xcij. Fistula centenum uicenum diametri digitos xij. perimetri digitos xxxyiij. capit quinarias xxxlviij. apud aquarios habebat diametri digitos xiij. capacitatis quinarias clxiij. Qui modus duarum centenariarum est.

FINIS PRIMI LIBRI.

IVLII FRONTINI DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE LIBER SECVNDVS.

PErſecutus ea quæ de modulis dici fuit neceſſarium, nunc ponam quemadmodũ quæq; aquarum principium commẽtarijs comprehenſum uſq; ad noſtram curam habere uiſa ſit, quantum quæq; erogauerit, deinde quæ ipſi ſcrupuloſa inquiſitione, præeũte prouidentia optimi diligentiſſimiq; principis Neruæ, inuenerimus. Fuerunt ergo in commentarijs in uniuerſo quinariarum xij. milia dcclv: in erogatione xiiij. milia xviij. plus in diſtributione q̃ in accepto computabant̃ quinariæ MCClxiij. Huius rei admiratio, cum præcipuũ officij opus in explorãda fide aquarum, atq; copia crederem, nõ mediocriter me conuertit ad ſcrutandum quemadmodum amplius erogaretur q̃ in patrimonio, ut ita dicam, eſſet. Ante omnia itaq; capita ductuum metiri aggreſſus ſum, ſed longe, id eſt circiter quinarijs x. milibus ampliorem, quàm in commentatijs modum inueni, ut per ſingulas demonſtrabo.

APpiæ in commentarijs aſcriptus eſt modus quinariarum dccc. uniuſcuiuſq; ad caput inueniri menſura non potuit, quoniam ex duobus riuis conſtat. Ad gemellas tamẽ, qui locus eſt intra ſpem ueterem ubi iungitur cum ramo Auguſtæ, inueni altitudinem aquæ pedes quinque, latitudinem aquæ pedis unius & dodrantis. Fiunt areæ pedes octo & dodrans, centenariæ xxij. & quadragenariæ, quæ efficiunt quinarias Mdccccxxv. amplius quàm in cõmentarijs habẽt quinarias dcccclxxxiij. erogabat quinarias dcciiij. minus quàm in commẽtarijs aſcribitur quinarijs cxxxvij, & adhuc minus quàm ad ge

mellas menſura reſpondet quinarijs MCXXI. Intercidit tamen aliquantum ex ductus uitio, qui cum ſit depreſſior non facile manationes oſtendit, quas ei ineſſe ex eo appa ret, q̃d in pleriſq; urbis partibus præbita aqua obſeruat̃, idq; q̃d ex eo manat. Sed & quaſdã fiſtulas intra urbẽ inuentas deprehendimus. Extra urbem aũt propter preſſuram libræ, quæ fit cis terrã ad caput pedibus L. nullam accipit iniuriam, ſicut inueni. Anioni ueteri aſcriptus eſt modus in commentarijs quinariarũ MCCCCXXI. ad caput inueni quatuor milia CCCXCVIIJ. præter eum modum qui in proprium ductum Tiburtinum deriuatur. Amplius in cõmẽtarijs eſt quinarijs duobus milibus, quæ erogabantur antequam ad piſcinam perueniret quinariæ ducentæ ſexagintaduæ. Modus in piſcina quæ per menſuras poſitas initur efficit quinarias duo milia tricentas ſexaginta duas. Intercidebant ergo inter caput & piſcinã quinariæ MDCCLXXIIIJ. erogabat poſt piſcinã quinarias MCCCXLVIIJ. amplius quàm iij commẽtarijs conceptionis modũ ſignificari diximus quinarijs LXIIJ. minus q̃ recipi in ductũ poteſt. Nam poſuimus quinarias MXIIIJ. ſumma quæ inter caput & piſcinam, & poſt piſcinam intercidebat quinariarum ij. milium DCCLXXXVIIJ, quod errore menſuræ fieri ſuſpicarer, niſi inueniſſem ubi auerterentur mille CLXIJ. Martiæ in commentarijs aſcriptus eſt modus quinariarũ duum milium centumſexagintaduarũ. Ad caput menſus inueni quinarias quatuor milia ſexcentas nonaginta, amplius quàm in cõmentarijs eſt quinarijs duobus milibus quingentis uigintiocto. Erogabantur antequã ad piſcinam perueniret quinariæ XCV. & dabantur in adiutoriũ Tepulæ quinariæ XCIJ. Item Anioni quinariæ CLXIIIJ. Summa quæ erogabatur ante piſcinam quinariæ CCCLI.

Modus

Modus qui in piſcinam menſuris poſitis initur cum eo qui circa piſcinæ ductũ eodem canali in arcu excipitur, efficit quinarias ij.milia dccccxliiij. Summa quæ aut erogatur ante piſcinam aut in arcu recipitur quinariarum iij. milium ccxcv. amplius quàm in conceptis commentariorum poſitum eſt quinarijs MCXXIIJ. minus quàm menſuræ ad caput actæ efficiunt quinarijs MCCCXCV. Erogabat poſt piſcinam quinarias MDCCCXL. minus quàm in commẽtarijs cõceptiõis ſignificari diximus quinarijs ccxxvij. minus quàm ex piſcina in arcus recipiuntur, ſunt quinariæ MCIIIJ. Summa utraque quæ intercidebãt aut inter caput & piſcinam, aut poſt piſcinam quinariarum duum milium quingentarum, quas ſicut in cæteris pluribus locis intercipi deprehendimus. Non enim eas ceſſare manifeſtũ eſt, etiã ex hoc eo quod è capite præter eam menſuram quam nos comprehendiſſe capacitate ductus poſſuimus effundunrur amplius ccc. quinariæ. Tepulæ in comentarijs aſcriptus eſt modus quinariarum quadringentarũ. Huius aquæ fontes nulli ſunt, uenis quibuſdam conſtabat, quæ interceptæ ſunt in Iulia. Caput ergo eius obſeruandũ eſt à piſcina Iuliæ. Ex ea enim primum accipit quinarias cxc. deinde ſtatim ex Martia quinarias xcij. Præterea ex Anione nouo ad hortos Epaphroditianos quinarias clxiij. Fiunt omnes quinariæ ccccxlv. amplius ꝙ in cõmentarijs quinarijs xlv. quæ inde erogantᷣ, nec cõparent. Iuliæ in commẽtarijs aſcriptus eſt modus quinariarũ dcxlix. ad caput menſura iri nõ potuit, quoniam ex pluribus acquiſitiõibus conſtat, & ad ſextũ ab urbe miliariũ uniuerſa in piſcinã recipitᷣ, ubi modus eius manifeſtis menſuris efficit q̃narias MCCVI. amplius ꝙ in cõmentarijs quinarijs dliij. Præterea accepit prope urbẽ poſt hortos

Pallantianos ex Claudia quinarias clxij. Est omne Iuliæ in acceptis quinariæ Mccclxviij. ex eo dat in Tepulā quinarias cxc. Erogat suo nomine dccciij: fiunt quas erogat quinariæ dccccxciij. amplius quàm in commentarijs habet quinarias cccxliij. minus quàm in piscina habere posuimus cxxiij. quas ipsas apud eos qui sine beneficijs Principis usurpabant deprehendimus. Virgini in commentarijs ascriptus est modus quinariarū dcclii. minus. Mensura ad caput inueniri non potuit, quoniam ex pluribus acquisitionibus constat, & leniore riuo intrat prope urbem ad miliarium septimum in agrum, qui nunc est ceroni cōmodi ubi ueIociorem cursum habet. Mensuram egi, quæ efficit quinariarum duo milia diiij. amplius q̄ in commentarijs quinarijs mille dcclii. Omnibus approbatio nostra expeditissima est. Erogant enim omnes quas mensura deprehendimus ad duo millia diiij. Alsietinæ conceptionis modus nec in commentarijs ascriptus est, nec in re præsenti certus inueniri potuit, cum ex lacu Alsietino, & deinde circa careas ex sabatino, quātum aquarij temperauerunt, habet non plus quinarijs duobus milibus. Claudia abundantior alijs maxime iniuriæ exposita est. In commētarijs habet non plus quinarijs duobus milibus octingentis quinquagintaquinq;, cum ad caput inuenerim quinarias iiij. milia dcvii. amplius quàm in cōmentarijs mille dcclij. Adeò aūt nostra certior est mensura, ut ad septimum ab urbe miliarium, in piscina ubi indubitatæ mensuræ sunt, inueniamus quinariarū tria milia cccxij. plus quàm in commentarijs cccclvii. quamuis & ex beneficijs ante piscinam eroget, & plurimum subtrahi deprehenderimus, ideo quod minus inueniatur, quàm reuera esse debeant quinarijs mille ccxcv. & circa erogationem fraus apparet, quod neque ad commentariorum fidem,

fidem, neq; ad eas quas ad caput egimus mensuras, neq; ad illas saltem piscinas post tot iniurias conuenit: Solæ enim quinariæ mille dccl. erogantur minus quàm commentariorum ratio dat quinarijs mille cv. minus autem quàm mensuræ ad caput factæ demonstrauerunt quinarijs duobus milibus dccclvij. minus etiam quàm in piscina inuenit quinarijs mille dlxij. Itaq; cũ syncera in urbem proprio riuo perueniret, in urbe miscebatur cum Aniene nouo, ut confusione facta, & conceptio earum, & erogatio esset obscurior. Quod si qui forte me acquisitionum mensuris blandiri putant admonendi sunt Curtiũ, & Cæruleum fontes aquæ Claudiæ sufficere ad præstandas ductui suo quinarias quas significaui iiij. miliũ dcvij. ut prætera mille dc. effundantur. Nec eo inficias quin ea quæ superfluunt non sint proprie horum fontium. Capiuntur enim ex Augusta, quæ inuenta in Martiæ supplementũ, dũ illa non indiget adiecimus fontibus Claudiæ, quamuis ne huius quidem ductus omnem aquam recipiat. ANIO nouus in commentarijs habere ponebatur quinarias iij. miliũ cclxiij. mensus ad caput repperi quinarias iiij. miliũ dccxxxviij. amplius quàm in conceptelis commentariorum est quinarijs mille cccclxxv. quarum acquisitionem non auide me amplecti quo non alio modo manifestius probem quàm erogatione ipsorum commentariorũ, maior pars earum continetur. Negatur enim quinariarum iiij. milium ccxi. alioquin in eisdem commentarijs inuenitur conceptio, non amplius quàm trium miliũ clxiij. Præterea intercipi non tantum quingentas xxvij. quæ inter mensuras nostras & erogationem intersunt, sed & longe ampliorem modum deprehendi, ex quo apparet etiam exuberare comprehensam à nobis mensuram, cuius rei ratio est, quod uis aquæ rapacior, ut ex largo & celeri flu

mine excepta uelocitate ipſa ampliat modum. Non dubi
to aliquos annotaturos q̃d longe maior copia actis men-
ſuris inuenta ſit, quàm erat in commentarijs Principum.
Cuius rei cauſa error eſt eorũ qui ab initio parum diligen
ter uniuſcuiuſq; fecerunt æſtimationem, ac ne metu æſta-
tis ac ſiccitatum intantum à ueritate eos receſſiſſe credã,
conſtantibus quidem ipſis menſuris Iulio menſe, hanc
uniuſcuiuſq; copiam quæ ſupraſcripta tota eſt deinceps
æſtate durante explorauerim. Quæcunq; tamen eſt cau-
ſa à qua procedit illud, utiq; detegitur. x. milia quinariarũ
intercidiſſe dum beneficia ſua princeps ſecundum modũ
cõmentarijs aſcriptum temperat. Sequens diuerſitas eſt,
quod alius modus concipitur ad capita, alius nec exiguo
minor in piſcinis, minimus deinde in diſtributione conti-
netur, cuius rei cauſa eſt fraus aquariorũ quos aquas ex
publicis ductibus in priuatorũ uſum deriuare deprehen-
dimus. Sed & pleriq; poſſeſſorũ, ex quorum agris aquæ
circunducuntur, fraude formas riuorum perforant, unde
fit ut ductus publici hominibus priuatis uel ad hortorum
uſum ſubſeruiant, uel ad itinera ſuſpendant. Ac de uitijs
eiuſmodi nec plura, nec meliora dici poſſunt, q̃ à Cœ- *Cœlius. Rufus.*
lio Rufo dicta ſunt, in ea cõcione cui titulus eſt de aquis,
quæ nunc nos omnia ſimili licentia uſurpata, utinam non
per offenſas probaremus. Irriguos agros, tabernas, cœ-
nacula, et corruptelas deniq; omnes perpetuis ſalientibus
inſtructas inuenimus, non quod falſis titulis aliæ pro alijs
aquæ erogabãtur, etiamſi inter leuiora cæteris uitia, inter
ea tamen quæ emendationem uidebant exigere, miran-
dum eſt, q̃d ferè circa montem Cœlium & Auentinũ acci
dit, qui colles prius quàm Claudia perduceretur utebãtur
Martia & Iulia, ſed poſteaq; Nero Imperator Claudiam
opere arcuato aſſumpſit, exceptam uſq; ad templum Diui
Claudij

Claudij perduxit, ut inde distribueretur, priores non ampliatæ, sed amissæ sunt; nulla enim castella adiecit, sed ijsdem usus, quorũ quamuis mutata aqua, uetus appellatio mansit. Satis iam de modo cuiusq; et ueluti noua quadam acquisitione aquarũ, & fraudibus, & uitijs, quæ circa eas erant dictum est; superest ut erogationem, quam confectam, ut sic dicam, in massam inuenimus, imò & falsis nominibus positam, per nomina aquarũ, uti quæq; se habet, et per regiones urbis digeramus. Cuius cõprehensionem scio non ieiunam tantũ, sed etiam perplexã uideri posse: Ponemus tamen quambreuissime, ne quid uelut formulæ officij desit his, quibus sufficiet cognouisse summa, licebit tamen transire leuiora. Vt ergo distributio quinariarum 14. millium 10. & 8. Ita & quadrigenariarũ 36. quia una quandoq; ex quibusdam aquis in adiutorium aliarum datur, & bis in speciem erogationis cadit, sed semel in computationem uenit. Ex his diuiduntur extra urbem quinariæ quatuor milia 63. ex quibus nomine Cæsaris quinariæ mille dccxxvij. priuatis quinariæ duo milia 336. Reliquæ intra urbem mille dcccclv. distribuebantur in castella 247. quibus erogabantur sub nomine Cæsaris quinariæ mille 707. semis; priuatis quinariarũ 3. milia 847 usibus publicis quinariarum 4. milia cccci. ex eo castris ducentis quinariæ 279. operibus publicis septuaginta quinq; quinariæ MMcccci. muneribus trigintanouẽ quinariæ 383. lacubus quingentis nonaginta uno quinariæ Mcccxxxv. Sed & hæc ipsa dispensatio per nomina aquarum ad regiones urbis partienda est. Ex quinarijs ergo quatuordecim milibus x. & viij. quam summam erogationibus omnium aquarum exposuimus, dantur nomine Appiæ extra urbem quinariæ tantũmodo quinque, quoniam libra humilior oritur, & à metitoribus reliquæ qui-

nariæ dcxcix. intra urbem diuidebantur per regiones se-cundam, V. VIII. IX. XI. XII. XIII. XIIII. in castella xx. ex quibus nomine Cæsaris quinariæ cli. priuatis quinariæ cxciiij. publicis quinariæ ccclíiij. ex eo castris unis quinariæ iiij. operibus publicis quatuordecim quinariæ. cxxiij. muneri uni quinariæ ij. lacubus nonagintaduobus quinariæ ccxxvi. Anionis ueteris erogabantur extra urbem nomine Cæsaris quinariæ clxix. priuatis quinariæ ccciiij. Reliquæ quinariæ mille DVIII. semis intra urbem diuidebantur per regiones primam, III. IIII. V. VI. VII. VIII. XII. XIIII. in castella xxxv. ex quibus nomine Cæsaris quinariæ lx. usibus priuatis quinariæ cccxc. publicis quinariæ cliij. Ex eo castris unis quinariæ l. operibus publicis decem & nouem quinariæ cxcvi. muneribus nouem quinariæ lxxxviij. lacubus nonaginta quatuor quinariæ ccxviij. Martiæ erogabantur extra urbem nomine Cæsaris quinariæ cclxix. Reliquæ quinariæ MCCcclxxij. intra urbem diuidebantur per regiones primam, III. IIII. V. VI. VIII. IX. XIIII. In castella li. ex quibus nomine Cæsaris quinariæ cxvi. priuatis quinariæ dxliij. castris quatuor quinariæ xlij. operib9 publicis quindecim quinariæ xli. muneribus duodecim quinariæ ciiij. lacubus centumquatuordecim quinariæ cclvi. Tepulæ erogabantur extra urbem nomine Cæsaris quinariæ lviij. priuatis lvi. Reliquæ quinariæ cccxxxi. intra urbem diuidebantur per regionem IIII. V. VI. VII. in castella xiiij. ex quibus nomine Cæsaris quinariæ xxxiiij. priuatis quinariæ ccxxvij. usibus publicis quinariæ l. ex eo castris duobus quinariæ xij. operibus publicis tribus quinariæ vij. lacubus tredecim quinariæ xxxij. Iuliæ fluebant extra urbem nomine Cæsaris quinariæ lxxxv. priuatis quinariæ cxxij. Reliquæ quinariæ dxlviij. Intra urbem diuidebantur per

tur per regiones II. III. V. VI. VIII. X. XII. in castel-
la decem & septem, ex quibus nomine Cæsaris quinariæ
xviij. usibus publicis quinariæ ccclxxiij. Ex eo castris
quinariæ lxix. operibus publicis quinariæ cxxi. mune
ribus quinariæ lxvij. lacubus uigintiocto quinariæ lxv.
Virginis nomine exibant extra urbem quinariæ cc. Reli
quæ quinariæ MMccciiij. intra urbem diuidebantur per
regiones VII. VIII. XIIII. In castella xxvi. ex quibus no
mine Cæsaris quinariæ dxlix. priuatis quinariæ cccxxx
viij. usibus publicis Mccccxvij. Ex eo muneribus duobus
quinariæ xxvi. lacubus uigintiquinq; quinariæ lxi. ope
ribus publicis sexdecim quinariæ Mccclxxx. in quibus
per se Euripo cui ipsa nomen dedit quinariæ cccclx. Al-
sietinæ quinariæ ccccxcij. Hæc tota extra urbem con-
sumitur nomine Cæsaris quinariæ ccccliiij. priuatis qui-
nariæ cxxxviij. Claudia & Anio nouus extra urbē pro-
prio quæq; riuo erogabat, intra urbem cōfundebatur, &
Claudia quidē extra urbem nomine Cæsaris dabat qui-
narias ccxvij. priuatis quinarias ccccxxxix. Anio no-
uus nomine Cæsaris dccxxviij. Reliquæ utriusq; quina-
riæ MMMccccxcviij. intra urbem diuidebantur per re-
giones urbis xiiij. in castella xcij. ex quibus nomine Cæ
saris quinariæ Mdccccxv. priuatis quinariæ Mlxvij. usi-
bus publicis quinariæ Mxij. ex eo castris nouem quina-
riæ cxlix. opibus publicis decemocto quinariæ cclxix.
muneribus duodecim quinariæ cvij. lacubus centumui-
gintisex quinariæ ccccxxvij.

HAec copia aquarū ad Neruam Imperatorem usq;
computata ad hunc modū describebatur, nūc pro-
uidentia diligentissimi Principis, quicquid aut fraudibus
aquariorū intercipiebatur, aut inertia peruertebat, quasi
noua inuentione fontiū accreuit, ac prope publicata uber

tas est, tum & sedula deinde partitione distributa, ut regionibus quibus singulæ seruiebant aquæ plures darentur tanquã Cœlio & Auentino, in quos sola Claudia per arcus Neronianos ducebatur. Quo fiebat, ut quoties defectio aliqua interuenisset, celeberrimi colles sitirent, quibus nũc plures aquæ, & in primis Martia reddita amplio ra opere à Cœlio in Auentinũ usq; perducitur, atq; etiã omni parte urbis lacus tam noui quàm ueteres plerique binos salientes diuersarũ aquarum acceperunt, ut si casus alterutram impedisset, altera sufficiente non destitueretur usus. Sentit hanc curã imperatoris pijssimi Neruæ principis sui Regina & domina orbis indies, quæ terrarũ dea consistit, cui par nihil, & nihil secundum, & magis sentiet salubritas eiusdem æternæ urbis, aucto castellorum, operum, munerũ, & lacuũ numero, nec minus ad priuatos commodũ quod ex incremẽto beneficiorũ eius diffunditur. Illi quoque qui timidi illicitam aquã ducebant, securi nunc ex beneficijs fruuntur. Ne pereũtes quidem aquæ ociosæ sunt, nam immundiciarum facies, & impurior spiritus, & causæ grauioris cœli, quibus apud ueteres urbis infamis aër fuit, sunt remotæ. Non præterit me deberi operi nouæ erogationis ordinationem, sed hæc cum incremento adiunxerimus, intelligi oportet nõ esse eam ponendã nisi cum consummata fuerit. Quid, quod nec hoc diligẽtiæ Principis, quam exactissimam ciuibus suis præstat, sufficit, parum præsidij ac uoluptatis nostris contulisse sese credentis, quod tantam copiam adijciat, nisi eam synceriorem iucundioremq; faciat? Operæpreciũ est ire per singula, per quæ ille occurrendo uitijs quorundam uniuersis adiecit utilitatem. Etenim quando ciuitas nostra, uel cum exigui hymbres superuenerant non turbulentas limosasq; aquas habuit? nec quia hoc uniuersis

ab ori-

ab origine naturæ est, aut quia istud incommodũ sentire debeant quod capiuntur ex fontibus, in primis Martia & Claudia, ac reliquæ, quarũ splendor à capite integer, nihil aut minimum pluuia inquinatur, si putei extructi obiecti sunt. Aquæ Anionis minus permanent lympidæ: Nam sumitur ex flumine, ac sæpe etiam sereno turbantur, quoniã Anio quamuis purissimo defluens lacu, mobilibus tamen cedentibus ripis, aufert aliquid quo turbetur priusquam deueniat in riuos, quod incommodum non solum hybernis ac uernis, sed æstiuis hymbribus sentit, quo tempore exit gratior aquarum synceritas. Ex ijs igitur alter, id est Anio uetus cũ plerũq; libra sit inferior, incommodum infra se tenet. Nouus autem Anio uitiabat cæteras: nam cum editissimus ueniat, & in primis abundans, aliquando defectioni aliarum succurrit. Imperitia uero aquariorum, deducentium in alienos eum specus, frequentius quàm explemento opus erat, etiam sufficientes aquas inquinabat, maxime Claudiam, quæ per multa milia passuum proprio ducta riuo, Romæ demum cum Anione permixta, in hoc tempus perdebat proprietatem, adeóque obuenientibus non succurrebat ut plæræq; aquæ accerserentur per imprudentiam, non uti dignum erat aquis parientium Martiã, ita ut ipsam splendore & rigore gratissimam, balneis ac fullonicis, & relatu quoque fœdis ministerijs deprehenderimus seruientem. Omnes ergo discerni placuit, tum singulas ita ordinari, ut in primis Martia potuit tota seruiret, & deinceps reliquæ secundũ suam quaq; qualitatẽ aptis usibus assignarent, sicut Anio uetus pluribus ex causis, q̃ interiore excipit minus salubris, in hortorũ rigationẽ, atq; in ipsius urbis sordidiora exiret ministeria. Nec satis fuit principi nostro cæterarũ restituisse copiã, sed etiã gratiã,

Anionis quoque noui uitia excludi posse uidit. Omisso enim flumine repeti ex lacu qui est super uillam Neronianã Sublacensem ubi lympidissima est, iussit. Nam cũ oriatur Anio supra Trebam angustam, seu quia per saxosos montes decurrit, paucis circa ipsum oppidis obiacentibus cultis seu quia lacus altitudine in quo excipitur uelut depuratur, imminentium quoq; nemorum opacitate inumbratus, frigidissimus simul ac splẽdidissimus eò peruenit. Hæc tam felix proprietas aquæ omnibus dotibus æquatura Martiam, copia uero superatura, ueniet in locũ deformis illius ac turbidæ. Nouum Imperatorem Cæsarem Neruam Traianum Augustũ præscribente titulo.

Sequit̃ ut indicemus quod ius ducẽdæ sit aquæ, quæ'ue cura ductuũ sit habenda, quorũ alterũ ad cohibendas intra modũ impetrati beneficij priuatos, alterũ ad ipsorũ ductuũ pertinet tutelã, in quibus dum altius repeto leges de singulis, quas late quidẽ apud ueteres obseruatas inueni, earum æquitatem prudentiamq; reticendam non censui. Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur, legeq; cautum ita fuit, ne quis priuatus aliam ducat, quàm quæ ex lacu humum accedit. Hæc enim uerba sunt eius legis, id est quæ ex lacu abundauit, eam nos caducam uocamus: Et hæc ipsa nõ in alium usum, quàm in balnearum, aut fullonicorum dabatur, eratq; uectigalis statuta merces, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos principum dabatur, concedẽtibus reliquis. Ad quem aũt magistratũ ius dandæ uendendæ'ue aquæ pertinuerit, in ijs ipsis legibus uariatur. Interdũ enim ab Aedilibus, interdũ à Cẽsoribus permissum inuenio, sed apparet quoties in Repub. erat ab illis potissimum petitum; cum ij nõ erãt, Aediliũ eam potestatẽ fuisse. Ex quo manifestum est, quanto potior cura maioribus communium uti-

Caduca aqua.

Aquæ ducendæ ius penes quos.

nium utilitatum, quàm priuatarũ uoluptatum fuerit, cum ad usum publicum pertineret etiam ea aqua, quam priuati ducebant. Tutelam autem singularum aquarum locari solitam inuenio positamq́;, quæ Redemptoribus necessitatem certum numerum circa ductus extra urbem, & certum in urbe seruorum opificum habendi, & quidem ita, ut nomina quoq; eorum, quos habituri erant in ministerio, per quasq; regiones in tabulas publicas deferrent, eorumq́; operum probandorum curam fuisse per Censores aliquando & Aediles, interdum etiam Censoribus eam prouinciam obuenisse, ut apparet ex eo quod factum est C. Liciano Cesula, & M. Fabio Censoribus. Quãtopere autem curæ fuerit ne quis uiolare ductus, aquam ue non concessam deriuare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, quod Circus Maximus ne diebus quidẽ ludorum Circensium, nisi Aediliũ aut Censorũ permissu irrigabatur, quod durasse etiam postquam res ad curatores transijt sub Augusto apud Atteium Capitonem legimus. Agri uero qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicabantur: Mancipia etiam, sicut ea quæ aduersus legem mulcta loco fecisse dicebantur. In ijsdem legibus adiectũ est ita: nequis aquam oletato dolo malo, ubi publice salit, siquis oletarit, sestertiorum x. miliũ mulcta esto. Oletato uidet̃ esse olidã facito, cuius rei causa Aediles curules iubebant̃ per uicos singulos ex ijs qui in uno quoq; uico habitarent prædia'ue haberent, binos præficere, quorum arbitratu aqua in publicum saliret. Primus M. Agrippa post ædilitatem quam gessit, consularis, operum suorum & munerum ueluti perpetuus curator fuit, qui iam copia permittente descripsit, quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid priuatis daretur. Habuit & familiam propriam, aquarũ quæ tueretur ductus, Oletare.

atq; castella & lacus. Hanc Augustus hæreditatem ab eo sibi relictam publicauit, Post eum Q. Aelio Tuberone, P. Fabio Maximo iterum COSS. in re, quæ usq; in id tem pus quasi potestate acta certo iure eguisset, Senatuscõsul to acta sunt, ac lex promulgata. Augustus quoq; edicto complexus est quo iure uterentur, qui ex commentarijs Agrippæ aquas haberent, tota re in sua beneficia transla= ta. Modulos etiam, de quibus dictum est, constituit, & rei continendæ exercendæq; curatorem fecit Messalam Cor uinum, cui adiutores dati Posthumius Sulpitius præto= rius & L. Cominius Pedarius, insignia eis quasi magistra tibus concessa, deq; eorum officio Senatusconsultum fa= ctum, quod infra scriptum est. S.C. quod Qu. Aelius Tubero, P. Fabius Maximus COSS. V.F. de ijs qui cu= ratores aquarum publicarum ex Senatusconsulto à Cæ= sare Augusto nominati essent ordinandis, D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. placere huic ordini eos qui aquis publi= cis præessent, cum eius rei causa extra urbem essent, licto= res binos, et seruos publicos ternos, architectos singulos, et scribas, et librarios, accensos præconesq; totidem habe re, quot habent ij per quos frumentũ plebei datur. Cum autem in urbe eiusdem causa aliquid agerent, cæteris ap= paritoribus ijsdem præterquã lictoribus uti, q; quibus ap= paritoribus. Ex hoc S. Consul. curatoribus aquarum, uti liceret eos diebus x. proximis, quibus S. Consul. factum esset, ad æerariũ deferrentur, quiq; ita delati essent, ijs præ= tores ærarij mercede cibaria, quãta præfecti frumento dan da, dare deferreq; solent, annua darent & attribuerent, ijsq; eas pecunias sine fraude suas facere liceret: utiq; tabu las, chartas, cæteraq;, quæ eius curationis causa opus esset, ijs curatoribus præbenda, Q. Aelius P. Fabius COSS. am bo alter'ue si ijs uidebitur adhibitis prætorib9, qui ærario

præsint

præſint & præbenda locent. Itemq; cum uiarum frumentiq; curatores, qui quarta parte anni publico fungebantur miniſterio, ut curatores aquarum iudicijs uacent priuatis publicisq;, apparitores & miniſteria, quamuis perſeueret adhuc ærarium in eos erogare, tamen etiam curatorũ uidentur deſiſſe inertia, & ſegnitia non agentium officium. Egreſſi autẽ urbem duntaxat agendæ rei cauſa, Senatus præſto eſſe lictores iuſſerat: nobis circumeuntibus riuos, fides noſtra & autoritas à Principe data pro lictoribus erit. Cum rem produxerimus ad initium curatorum, non eſt alienũ ſubiungere, qui poſt Meſſalam huic officio ad nos uſq; præfuerint. Meſſalæ ſucceſſit, Silio & Plaucio COSS. Atteius Capito: Capitoni L. Martio C. Antiſtio uetere COSS. Satrius Rufus: Satrio, Sergio Cornelio Cethego L. Viſellio Varrone Coſſ. M. Cocceius Nerua, Diui Neruæ auus, ſcientia iuris illuſtris. Huic ſucceſſit F. Perſico L. Vitellio COSS. C. Octauius Lenas: Lenati Iuniano, & Nonio Aſprenate COSS. Aquila. Huic ſucceſſit M. Porcius Cato: poſt quẽ Sexto Nonio Celere et Iunio Quintiliano COSS. Didius Gallus, Gallo Qu. Veranio Pompeio Longino COSS. Cn. Domitius Afer: Afro, Nerone Claudio Cæſare quartũ, & Coſſo Coſſi filio COSS. L. Piſo: Piſoni, Virginio Rufo, et Memio Regulo COSS. Petronius Turpiliãus: Turpiliano Craſſo Frugi, et Lecanio Baſſo COSS. P. Marius: Mario, L. Teleſino, & Suetonio Paulino COSS. Fonteius Agrippa: Agrippæ, Silio, et Galerio Trachalo COSS. Alipius Criſpus: Criſpo, Veſpaſiano tertium, & Cocceio Nerua COSS. Pompeius Siluius: Siluino, Valerio, & Meſſalino COSS. T. Anius Flauianus: Flauiano, Veſpaſiano quintum, & Tito tertium COSS. Acilius Auiola. Poſt quem Imperatore Nerua tertium, & Virginio Rufo tertium

COSS. ad nos cura translata est. Nunc quid obseruare curator aquarũ debeat, et leges Senatusq́ consulta ad instruendum eum pertinentia, subiungam. Circa ius ducendæ aquæ in priuatis hæc obseruanda sunt, ne quis sine literis Cæsaris, id est ne quis aquam publicam non impetratã, et ne quis amplius quàm impetratum fuerit ducat. Ita enim efficiemus, ut modus quem acquiri diximus, possit ad nouos salientes, & ad noua Principis beneficia pertinere. In utroq; autem magna cura multiplici opponenda fraudi est. Solicite subinde ductus extra urbem sunt circumeundi ad recognoscenda beneficia. Idem in castellis salientibus publicis faciendum, ut sine intermissione diebus noctibusq́ aqua fluat, quod Senatus quoq; cõsulto curator facere iubetur, cuius hæc quoq; uerba sunt: Aelius Tubero, & P. Fabius Maximus O. V. F. COSS. de numero publicorum salientiũ qui in urbe essent, intraq; ædificia urbi coniuncta, quos M. Agrippa fecisse Q. F. P. de ea re ita censuerunt, neque augeri placere, nec minui numerus publicorum salientium, quos nunc esse retulerunt ij, quibus negocium à Senatu est imperatum, ut inspicerent aquas publicas, inirentq́ numerũ salientium publicorũ. Itemq́ placere curatores aquarum, quos Senatuscon. Cæsar Augustus ex Senatus autoritate nominauit, dare operam ut saliẽtes publici quamassiduissime interdiu & noctu aquã in usum populi funderent. In hoc S. cons. crediderim annotandum, quod Senatus tam augeri quàm minui salientium publicorum numerum uetuerit, id factum existimo, quia modus aquarum, quæ ijs temporibus in urbem ueniebant, antequam Claudia et Anio nouus perduceretur, maiorem erogationem capere non uidebatur. Qui aquã in usus priuatos deducere uolet, impetrare eam debebit, & à Principe epistolam ad curatorem afferre. Curator

deinde

deinde beneficio Cæſaris præſtare maturitatem, & procuratorem eiuſdem officij libertum Cæſaris protinus ſcribere. Procuratorem autem primus Ti. Claudius uidetur admouiſſe poſtquam Anionem nouum & Claudias induxit. Quid contineat epiſtola Iulia fieri quoq; notum debet, ne quando negligentiam, aut fraudem ſuam ignorantiæ colore defendat. Procurator calicem eius moduli, qui fuerit impetratus, adhibitis libratoribus ſignari cogitet, & diligenter intendat menſurarũ quas ſupradiximus modum & earum notitiam habeat, ne ſit in arbitrio libratorũ interdũ maioris luminis, interdum minoris pro gratia perſonarũ calicem probare. Sed neq; ſtatim adhuc liberũ ſubijciendi qualemcunq; plumbeã fiſtulam permittat arbitrium, uerum eiuſdem luminis, quo calix ſignatus eſt, eundem per pedes quinquaginta prope det, ſicut Senatuſconſulto, quod ſubijciendum eſt, cauetur. Quod Q. Aelius Tubero, Q. Fabius maximus COSS. V. F. quoſdam priuatos ex riuis publicis aquã ducere. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. ne cui priuato aquam ducere ex riuis publicis liceret; utiq; omnes ij quibus aquæ ducẽdæ ius eſſet datũ, ex caſtellis ducerent, animaduerterẽtq; curatores aquarũ, quibus locis intra extraq; urbẽ apte caſtella priuati facere poſſent, ex quibus aquam ducerẽt, quam ex caſtello communem accepiſſent à curatoribus aquarum, ne qui eorum, quibus aqua daretur publica, ius eſſet intra quinquaginta pedes eius caſtelli, ex quo aquam ducerent, laxiorem fiſtulam ſubijcere q̃ quinariam. In hoc Senatuſconſul. dignum admiratione eſt, quod aquam nõ niſi ex caſtello duci permittit, ne aut riui, aut fiſtulæ publicæ frequenter lacerarentur. Ius impetratæ aquæ neque hæredem, neq; emptorẽ, neq; ullum nouum dominum prædiorũ ſequitur; Balneis, quæ publicæ lauarent, priui- Balnearũ ius.

legium antiquitus concedebatur, ut semel data aqua perpetuò maneret, sicut ex ueteribus Senatuscon. cognoscimus, ex quibus unum subieci: Nunc omnis aquæ cũ possessore instauratur beneficium. Quod Q. Aelius Tubero, P. Fabius Maximus COSS. V. F. cõstitui oporteret, quo iure extra intraq́ urbem duceret aquas ij quibus attributæ essent. Q. D. E. R. F. P. D. E. I. C. uti ijs quoq́ maneret attributio aquarum, exceptis quæ in usum balneorum essent datæ, aut Augusti nomine, quoad ijdem domini possiderent id solum in quo accepissent aquam. Cum uacare aliquæ cœperint, adnũciatur in cõmentariosq́ redigitur, qui respiciũtur ut petitoribus ex uacuis dari possint. Has aquas statim interdicere solebant, ut medio tempore uenderent aut possessoribus prædiorum, aut alijs. Humanius etiam uisum est Principi nostro, ne prædia subito destituerentur, triginta dierum spaciũ indulgeri, intra q̃d ij ad quos res pertinet, irrigarent. De aqua in prædia sociorũ data nihil constitutum inuenio, perinde tamẽ obseruatur, ac iure cautum, ut dum quis ex ijs qui communiter impetrauerunt, superesset, totus modus prædijs assignatus flueret, & tunc demum renouaretur beneficium, cum desijsset quisq́ ex ijs, quibus erat datum possidere. Impetrata aqua aliò quàm in ea prædia, in quæ data erat, aut ex alio castello quàm quo ex epistola Principis contrahebat, duci palàm. S. Consul. non oportet, sed & mandatis prohibetur. Impetrantur autẽ & hæ aquæ quæ caducæ uocantur, id est quæ aut ex castellis effluunt, aut ex manationibus fistularum, quod beneficium à Principibus parcissime tribui solitum, sed fraudibus aquariorũ obnoxium est, quibus prohibendis quanta cura debeatur, ex capite mandatorum manifestũ erit, quod subieci: Caducam neminem uolo ducere, nisi qui meo beneficio,

aut

aut priorum Principum habent; nam necesse est ex castel lis aliquam partem aquæ effluere, cum hoc pertineat nõ solum ad urbis nostræ salubritatẽ, sed etiam ad utilitatem cloacarum abluendarum. Explicitis quæ ad ordinationem aquarum priuati usus pertinebant, nõ ab re est quædam ex ijs quibus circumscribi saluberrimas constitutiones in ipso rei actu deprehendimus, exempli causa attingere. Ampliores quosdã calices quàm impetrati erãt positos in plerisque castellis inueni, & ex ijs aliquos ne signatos quidem. Quoties autem signatus calix excedit legitimam mensuram, ambitio procuratoris qui cũ signauit detegitur: cum uero ne signatus quidẽ est, manifesta culpa omnium, maxime accipientis deprehenditur, dein de uillici. In quibusdam cum calices legitimæ mẽsuræ signati essent, statim amplioris moduli fistulæ subiectæ fuerunt; unde acciderat ut aqua non per legitimum spatium coërcita, sed per leues angustias expressa, facile laxiorẽ in proximo fistulã impleret. Ideoq; illud adhuc, quoties signatur calix, diligentiæ adijciendum est, ut fistulæ quoque proximæ per spacium, quod S. consulto comprehensum diximus, signentur. Ita demum uillicus cũ sciuerit non aliter quàm signatas collocari debere, omni carebit excusatione. Circa collocãdos quoque calices obseruari oportet, ut ad lineam ordinent, nec alterius inferior calix, alterius superior ponatur. Inferior plus trahit, superior minus ducit, quia cursus aquæ ab inferiore rapitur. In quorundam fistulis ne calices quidem positi fuerunt: hæ fistulæ solutæ uocantur, & ut aquario libuit laxantur uel coartant. Adhuc illa aquariorũ intolerabilis fraus est, translatæ in nouũ possessorẽ aquæ, foramẽ nouũ castello imponũt, uetus relinquũt, quo uenalẽ extrahãt aquã. In primis ergo hoc quoq; emendandũ curatori crediderim, Fistulæ solutæ.

Non em̃ ſolum ad ipſarum aquarum cuſtodiam, ſed etiã ad caſtelli tutelam pertinet, quod ſubinde & ſine cauſa fo ratum uitiatur. Etiam ille aquariorum tollendus eſt red-ditus, quem uocant punctã. Longa ac diuerſa ſunt ſpacia, per quæ fiſtulæ tota meant urbe latentes ſub ſilice. Has

Puncta. comperi per eum qui appellabatur à punctis paſſim con-uulneratis omnibus in tranſitu negociatoribus, præbuiſ-ſe peculiaribus fiſtulis aquã, quo efficiebatur, ut exiguus modus ad uſus publicos proueniret. Quantum ex hoc modo aquæ ſublatum ſit, æſtimo ex eo quod aliquantum plumbi ſublati eiuſmodi ramis reductum eſt. Supereſt tu

Tutela ductuũ. tela ductuũ, de qua prius quàm dicere incipiã, pauca de familia, quæ huius rei cauſa parata eſt, explicãda ſunt. Fa miliæ ſunt duæ, altera publica, altera Cæſaris. Publica an tiquior quam Agrippæ Auguſto relictam, & ab eo pu-blicatam diximus. Habet homines circiter ccxl. Cæſa-ris familiæ numerus eſt ccccl x. quam Claudius, cũ aquas in urbem perduceret, conſtituit. Vtraq; autem familia in aliquot miniſteriorum ſpecies diducitur: uillicos, caſtella rios, curatores, ſilicarios, tectores, aliosq; opifices. Ex his aliquos extra urbem eſſe oportet ad ea quæ non ſunt ma-gnæ molitionis. Maturum tamen auxilium uidentur exi gere omnes in urbe circa caſtellorum & munerum ſtatio nes, operaq; quæ urgebunt, in primis ad ſubitos caſus, ut ex compluribus regionibus, in quas neceſſitas incubue-rit, cõuerti poſſit præſidium aquarum abundantius. Tam amplum numerum utriuſque familiæ ſolitũ ambitione, aut negligentia præpoſitorum in priuata opera diduci, reuocare ad aliquam diſciplinam et publica miniſteria ita inſtituimus, ut pridie quid eſſet actura dictaremus, & quid quaq; die egiſſet actis comprehenderetur. Commo da publicæ familiæ ex Aerario dantur, quod impendium

exoneratur

exoneratur uectigalium reddidtu ad ius aquarum pertinentium. Ea constat ex hortis ædificijs'ue, quæ sunt circa ductus, aut castella, aut munera, aut lacus, quem redditum prope sestertium ccl. milium salientem, ac uagum, proximis uero temporibus in Domitiani loculos uersum iustitia Diui Neruæ populo restituit, nostra sedulitas ad certam regulam redegit, ut constarent, quæ essent ad hoc uectigal pertinentia loca. Cæsaris familia ex fisco accipit commoda, unde & omne plumbum, & omnes impensæ ad ductus, & castella, & lacus pertinentes erogantur. Quoniã quæ uidebant̃ ad familiam pertinere exposuimus, ad tutelam ductuum sicut promiseramus diuertimus, rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani imperij id præcipuum sit indicium. Multa atq; ampla opera subinde nascuntur, quibus ante succurri debet quàm magno auxilio egere incipiant, pleraq; tamen prudenti temperamento sustinenda sunt, quia non semper opus aut facere, aut ampliare quærentibus credendum est. Ideoq; non solum scientia peritorum, sed & proprio usu curator instructus esse debet, nec suæ tantum stationis architectis uti, sed plurium aduocare non minus fidem quàm subtilitatem, ut æstimet quæ repræsentanda, quæ differenda sint, & rursus quæ per redemptores effici debeant, & quæ per domesticos artifices. Nascuntur opera ferè ex his causis, nam aut uetustate corrumpuntur, aut impotentia possessorum, aut ui tempestatum, aut culpa male facti operis, quod sæpius accidit in recentibus. Ferè aut uetustate, aut ui tempestatum partes ductuum laborant, quæ arcuationibus sustinentur, aut montium lateribus applicatæ sunt, & exarcuationibus, eæq; per flumen traijciuntur. Ideo hæc opera solicita

festinatione explicanda sunt. Minus iniuriæ subiacent sub terranea, nec gelicidijs, nec caloribus exposita. Vitia autem eiusmodi, aut talia sunt ut non interpellato cursu subueniatur eis, aut emendari nisi auersa nõ possint, sicut ea, quæ in ipso alueo fieri necesse est. Hæc duplici ex causa nascuntur, aut limo concrescente, qui interdũ in crustam durescit, iterq; aquæ coarctat, quod aut tectorio corrumpitur, unde fiunt manationes, quibus necesse est latera riuorum & substructiones uitiari. Pilæ quoq; ipsæ topho extructæ sub tam magno onere labuntur. Refici quæ circa alueos sunt riuorum æstate non debent, ne aquæ intermittatur usus, tempore quo præcipue desideratur, sed uere, uel autumno, & maxima cum festinatione, ita ut ante præparatis omnibus quampaucissimis dieb9 riui cessent.

Neminem fugit per singulos ductus hoc esse faciendum, ne si plures pariter auertantur, desit aqua ciuitati. Ea quæ non interpellato aquæ cursu effici debent, maxime structura constant, quam suis temporibus & fidelem fieri oportet. Idoneum structuræ tempus est à cal. aprilibus in cal. nouemb. ita ut optimum sit intermittere eam partem æstatis, quæ nimijs caloribus incandescit: quia temperamento cœli opus est, ut ex humore commode structura combibat & in unitate corroboretur. Non minus autem sol acrior quàm gelatio præcipit materiã, neq; ullũ opus diligentiorem poscit curam quàm quod aquæ obstaturũ est. Fides itaq; eius per singula secundum legem notam omnibus, sed à paucis obseruatam exigenda est. Illud nulli dubium esse crediderim, proximos ductus, id est, qui à sexto miliario lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos, quoniã et amplissimi operis sunt, et plures aquas singuli sustinent, quos, si necesse fuerit interrumpere, ma

ior

ior pars aquarum urbem Romam destituet. Remedia tamen sunt, ut his difficultatibus inchoatus alueus excitetur ad libram deficientis. Alueus uero plumbatis canalibus per spacium interrupti ductus rursus contineatur. Porrò quoniam ferè omnes per priuatorum agros directi erant, & difficilis uidebatur futuræ impensæ præparatio ut alicuius constitutione succurreretur, simul ne accessu ad reficiendos riuos redemptores à possessoribus prohiberentur, Senatusconsultum factum est, quod subieci. Quod Q. Aelius Tubero, P. Fabius Maximus COS S. V. F. de riuis, specubus, fornicibusq; Iuliæ, Martiæ, Appiæ, Tepulæ, Anionis reficiendis, Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Vt cum ij riui, fornices, quos Augustus Cæsar se refecturum impensa sua pollicitus Senatui est, reficerentur, ex agris priuatorum terram, limum, lapidem, testam, arenam, ligna, cæteraq; quibus ad eam rem opus esset, unde quæq; earum proxime sine iniuria priuatorũ tolli, sumi, portari possint, uiri boni arbitratu æstimata darentur, tollerentur, sumerentur, exportarentur, & eas res omnes exportandas, earumq; rerum reficiendarum causa, quoties opus esset per agros priuatorum sine iniuria eorum itinera, actus paterent, darentur. Plerunq; autem uitia oriuntur ex impotentia possessorum, qui pluribus modis riuos uiolant. Primum enim spatia, quæ circa ductus aquarum ex S. Consulto uacare debent, aut ædificijs, aut arboribus occupant. Arbores magis nocent, quarum radicibus & concamerationes & latera soluuntur; deinde uicinales uias, agrestesq; per ipsas formas dirigunt; nouissime aditus ad tutelam præcludunt; quæ omnia Senatusconsulto, quod subieci, prouisa sunt, quod Q. Aelius Tubero, P. Fabius Maximus V. F. aquarũ, quæ in urbẽ ueni

rent itinera occupari monumentis, & ædificijs, & arboribus conſeri. Q. F. P. D. E. R. I. C. Cum ad reficiendos riuos, ſpecusq́ꝫ, per quæ & opera publica corrumpuntur, placere circa fontes, & fornices, & muros utraqꝫ ex parte uacuos centenos quinos denos pedes patére, & circa riuos, qui ſub terra eſſent, & ſpecus intra urbem, & extra urbem continentia ædificia, utraqꝫ ex parte quinos pedes uacuos relinqui, ita ut neque monumentum in ijs locis, neqꝫ ædificium poſt hoc tempus ponere, neqꝫ conſerere arbores liceret; ſiquæ nunc eſſent arbores intra id ſpatium, extirparentur, præterquam ſiquæ uillæ continentes et incluſæ ædificijs eſſent. Siquis aduerſus ea commiſerit, in ſingulas res in dena milia damnas eſſet. Ex quibus pars dimidia præmium accuſatori daretur, cuius opera maxime conuictus eſſet, qui aduerſus hoc Senatuſcon. commiſiſſet; pars altera dimidia in ærarium redigeretur, deq́ꝫ ea re iudicarent cognoſcerentq́ꝫ curatores aquarum. Poſſet hoc Senatuſconſultum æquiſſimum uideri, etiam ſi ex rei tantum publicæ utilitate ea ſpatia iudicarentur, multo magis cum maiores noſtri admirabili æquitate, ne ea quidem eripuerunt priuatis, quæ ad modum publicum pertinebant. Sed cum aquas perducerent, ſi difficilior poſſeſſor in parte uendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt, ac poſt determinata neceſſaria loca rurſus eum agrum uendiderunt, ut in ſuis finibus proprium ius tam reſpublica quàm priuata haberet. Pleriqꝫ tamen non contenti occupaſſe fines, ipſis ductibus manus attulerunt per ſemitas ſolutas paſſim, & rurſus ius aquarum impetratum habent, aquarij quantulacunqꝫ beneficio occaſione ad expugnandos nunc abutuntur. Quid porrò fieret, ſi non uniuerſa iſta diligentiſſima lege prohiberentur,

pœnaqꝫ

pœnaq́ꝫ non mediocris cõtumacibus intentaretur? Quæ subscripsi hæc sunt uerba legis: T. Quintius Crispinus cos. populũ iure rogauit, populusq́ꝫ iure sciuit in foro pro rostris ædis diui Iulij Po. Ro. & Iulias tribui Sergia principium fuit pro tribus sex. L. F. Varro. Quicunqꝫ post hanc legem rogatam riuos, specus, fornices, fistulas, castella, tubulos, lacus aquarum publicarum, quæ ad urbem ducuntur, earum'ue quam sciens dolo malo forauerit, ruperit, forare, rumpere'ue curauerit, peiorémue fecerit, quo minus ea aqua earum'ue quà in urbem Romã ire, cadere, flui, peruenire, duci possint, quóue minus in urbe Roma, & in his ædificijs quæ urbi continentia sunt, erũt, in hisq́ꝫ hortis, prædijs, locis, quorum hortorũ, prædiorũ, locorũ dominis, possessoribus, V. F. aqua data uel attributa est, uel erit, ut saliat, distribuat̃, diuidatur, in castella, lacus immittat̃, is P. R. c. milia dare damnas esto: & qui clàm quid eorum ita fecerit, id omne sarcire, reficere, restituere, ædificare, ponere & celare, demoliri damnas esto, sine dolo malo. Atqꝫ ita omnino, ut quicunqꝫ curator aquarum est, erit, si curator aquarum est uel erit, tum is Prætor, qui inter ciues & peregrinos ius dicit, mulctam pignoribus cogito, coërcito, eiq́ꝫ curatori, aut si curator nõ erit, tum ei Prætori eo nomine cogere & coërcere, mulctæ dicendæ, siue pignoris capiendi ius potestasq́ꝫ esto. Si quid eorum seruus fecerit, dominus eius centum milia populo det. Siquis circa riuos, specus, fornices, fistulas, tubulos, castella, lacus aquarũ publicarũ, qua ad urbem Romam ducuntur & ducentur, terminatus steterit, neqꝫ quis eo loco post hanc legem rogatam quid opponit, molit, obsepit, figit, statuit, ponit, collocat, arat, serit, néue in eum locũ quid immittit, prætereq́ꝫ eorũ faciẽdorũ

reponendorũ causa præterq́ quidẽ hac lege licebit, oportebit. Qui aduersus ea q́d fecerit, & aduersus ea repserit, ex iussu causaq́ omnium rerũ omibus esto damnas, utiq́ atq́ uti esset esseq́ oporteret, si is aduersus hanc legem riuum, specum rupisset, forasset'ue, quiq́ specum forasset rupisset'ue, quo minus in eo loco poscere herbam, fœnũ sceare, sentes, uepres, caprificos, curatores aquarũ qui nũc sunt, quiq́ erunt, circa fontes, & fontium & murorũ curã, riuos, et specus terminatus arbores uites, uepres, sentes, ripæ, maceria, salicta, harundineta excidãtur, tollant, effodiantur, excorticentur, utiq́ recte factum esse uolet, eoq́ nomine ijs pignoris captio mulcta edici or uti quæ esto: Idq́ ijs sine fraude sua facere liceat ius potestasq́ esto quo minus uites arboresq́ uillis, ædificijs, macerijs'ue inclusæ sint. Maceriæ quas curatores aquarũ causa cognita ne demolirentur dominis permiserũt, quibus inscripta insculptaq́ essent ipsorũ qui permisissent curatorum nomina maneãt, hac lege nihil abrogato, quo minus ex his fontibus, riuis, specub⁹, fornicibus aquã haurire, sumere ijs quibuscunq́ curatores aquarum permiserũt, præterq́ rota, calice, machina liceat: dũ neq́ puteus, neque foramen nouum fiat. Eius hac lege nihilum rogatio utilissimæ legis contemptores nõ negauerim dignos poena quæ intendit. Sed negligẽtia † longi temporis deceptos leniter reuocari oportuit. Itaque sedulo laborauimus, ut quantum in nobis fuit etiam ignorarẽtur qui errauerant. His uero qui admoniti ad indulgẽtiam Imperatoris decurrerunt, possumus uideri causa imperati beneficij fuisse. In reliquo uero † opto ne executio legis necessaria sit, cum officij fidem etiã per offensas tueri præstet.

† Legum pro tempore.

† opere

SECVNDI ET VLT. LIB. FINIS.

EX PROBO INTERPRETATIO LITErarum, quæ superius positæ sunt.

D.E.R.Q.F.P.D.E.R.I.C. Significatum hic est. De ea re quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt.
Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C. Significatum est. Quid de ea re fieri placeret. de ea re uniuersi ita censuerũt.
Q.D.E.R.F.P.D.E.R.I.C. Significatũ hic est: Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Cætera idem significant.

BASILEAE APVD IOAN. BEB.
ANNO M.D.XXX.

— FRAGMENTA 1530